VENERABILIS SERVI DEI

BARTHOLOMÆI HOLZHAUSER,

FUNDATORIS

Instituti Clericorum sæcularium in communi viventium,

ET CANONICÆ DISCIPLINÆ IN GERMANIA ARDENTISSIMI ZELATORIS

OPUSCULA ECCLESIASTICA,

Juxta romanam editionem 1684 sedulo collata et denuo edita,

ACCURANTE J.-P.-L. GADUEL,

Canonico et Vicario generali Aurelianensi.

AURELIIS,
Apud G. JACOB,
Viâ de Bourgogne, 220.

PARISIIS,
Apud C. DOUNIOL,
Viâ de Tournon, 29.

MDCCCLXI.

VENERABILIS SERVI DEI

BARTHOLOMÆI HOLZHAUSER

OPUSCULA ECCLESIASTICA.

VENERABILIS SERVI DEI

BARTHOLOMÆI HOLZHAUSER,

FUNDATORIS

Instituti Clericorum sæcularium in communi viventium,

ET CANONICÆ DISCIPLINÆ IN GERMANIA ARDENTISSIMI ZELATORIS

OPUSCULA ECCLESIASTICA,

Juxta romanam editionem 1684 *sedulo collata et denuo edita,*

ACCURANTE J.-P.-L. GADUEL,

Canonico et Vicario generali Aurelianensi.

AURELIIS,
APUD G. JACOB,
Viâ de Bourgogne, 220.

PARISIIS,
APUD C. DOUNIOL,
Viâ de Tournon, 29.

MDCCCLXI.

APPROBATIO ORDINARII.

Hæc Bartholomæi Holzhauser *Opuscula ecclesiastica,* piissime prudentissimeque scripta, et pluries in Ecclesiâ jam approbata, typis denuo mandari permittimus, ac valde Clero commendata volumus.

Aureliis, die 30ª aprilis, ann. MDCCCLXI.

† **FELIX**, *Episcopus Aurelianensis.*

PRÆFATIO EDITORIS.

Cum scribere aggrederer Vitam venerabilis servi Dei (1) Bartholomæi Holzhauser, fundatoris *Clericorum sæcularium in communi viventium* (2), mens mihi primum fuerat ad calcem ipsius biographiæ ac in eodem volumine adjicere *Constitutiones et exercitia spiritualia* Instituti Holzhauseriani, cum aliis quibusdam opusculis piissimi hujus viri, inter quæ præcipuas partes obtinet tractatus vere aureus cui titulus : *Instructiones de via perfectionis et principiis practicis pro statu clericali et pastorali.*

Cum vero prædicta biographia, pro copia rerum, longe ultra prævisos limites excreverit, inde factum est ut prius mutare debuerim consilium, scriptaque Holzhauser superius nominata, separatim in præsenti edere volumine, quod, simul cum biographia typis mandatum, hæc complectitur :

1° Constitutiones Clericorum sæcularium in communi viventium, ab Innocentio XI approbatas die 7 junii 1680;

(1) *Lectores monitos volumus hosce titulos, non ex auctoritate Ecclesiæ, sed ex communi coævorum et posterorum existimatione Barth. Holzhauser tributos fuisse.*

(2) *Vie du vénérable Serviteur de Dieu Barthélemy Holzhauser,* par M. l'abbé Gaduel, 1 vol. in-12. — 1861. — Orléans, chez Jacob, rue Bourgogne, 220; Paris, chez Douniol, rue de Tournon, 29.

2° Constitutiones Juventutis in seminariis eorumdem clericorum educandæ, ab eodem etiam Pontifice eadem die approbatas;

3° Constitutiones pro spiritali temporalique directione Instituti Clericorum sæcularium in communi viventium, ab eodem Innocentio XI approbatas die 17 augusti 1684;

4° Stationes quotidianorum exercitiorum spiritualium;

5° Instructiones de modo orandi et meditandi;

6° Manipulum piarum precum;

7° Tractatum de via perfectionis et principiis practicis pro statu clericali et pastorali;

8° Instructiones catholicis concionatoribus valde utiles.

Hæc omnia sedulò a me collata fuere cum Romana editione 1684, nunc rarissima, et cujus exemplar forte reperi Parisiis in bibliotheca *sanctæ Genovefæ,* sub hoc titulo : *Constitutiones et exercitia spiritualia Clericorum sæcularium in communi viventium. Romæ ex typis Cameræ Apostolicæ* MDCLXXXIV; in quo volumine continentur etiam tractatus Holzhauserianus *de via perfectionis,* etc. et alia quæ superius nominavi opuscula; et hoc volumen inscribitur in bibliotheca sanctæ Genovefæ, sub n° catalogi E, 3805.

Triplicem porro utilitatem ex hac nova prædictorum opusculorum editione, sicuti et ex ipsa Holzhauser biographia, Deo juvante, secuturam esse spes mihi affulsit.

Prima utilitas erit ædificatio clericorum et sacerdotum; et hæc eo major sperari potest, quod illa Holzhauser opuscula sunt quasi *medulla canonum Ecclesiæ de vitâ clericali*, ut olim aiebat (1), Reverendiss. D. D. Sanfelicius, Coloniæ tunc Apostolicus Nuncius, qui eadem etiam *gemmam ecclesiasticæ disciplinæ pretiosissimam* appellavit (2); et Eminentiss. Card. de Norfolk, ad Clerum Angliæ de iisdem opusculis scribens, dicebat *se « nihil unquam novissime sanctius atque aptius excogi- « tatum ad disciplinam ecclesiasticam renovandam* (3). »

Altera etiam utilitas accedet, copia videlicet uberrima regularum, doctrinarum et principiorum ad bonum ecclesiasticum regimen collimantium, quæ, sicut cum summa prudentia conscripta fuere a viro rerum clericalium peritissimo, ita jucunde et non sine fructu, ut puto, perlegentur, tum a RR. DD. Episcopis eorumque vicariis generalibus, tum a communitatum quarumlibet sacerdotalium superioribus, tum imprimis a Seminariorum, sive majorum, sive minorum rectoribus, qui multa ex his colligere poterunt ad juniorum levitarum directionem saluberrima.

Tertia demum et maxima inde succrescere poterit utilitas, quòd nempe præfatorum opusculorum lectio sanctum forsan, Deo afflante, piis aliquibus presbyteris consilium ingeret, vel ipsum Holzauserianum Institu-

(1) Epist. ad Berthold. Nihusium, 1654.
(2) Epist. ad Barth. Holzhauser, 1655.
(3) Epist. ad cler. Anglic., 7 april. 1684.

tum renovandi, vel saltem alias clericales communitates, ad normam præclaræ illius societatis, instituendi. Hoc autem si fauste aliquando, per Dei gratiam, contingat, commodissimum sane et utilissimum erit tam sancti operis promotoribus in promptu et ad manum habere librum, in quo principia, regulæ, totum que systema Instituti *Clericorum sæcularium in communi viventium* adamussim et diligentissima cura collecta sunt. Faxit Deus Optimus ut meum hoc votum, quod Ipsi et Filio ejus Jesu Christo ex totis meis visceribus offero, impleri queat! Et sane hujusmodi res, sicut possibilis esset valdeque optabilis, ita nec improbabilis videri debet. Vix enim ac ne vix quidem mihi persuadeam Deum adeo sanctam et pulchram vitæ ecclesiasticæ formam terris monstravisse, ut, post duo tantum sæcula, prorsus et irrevocabiliter evanesceret. Quod periit, reviviscere potest. Gallicana profecto Ecclesia ager foret hujusmodi plantæ germinationi aptissimus, et Ecclesiæ Germanicæ dignæ essent quæ, ut olim Institutum *Clericorum sæcularium in communi viventium* per venerabilem suum Bartholomæum Haulzhauser genuerunt, ita et idem Institutum, per temporum calamitates extinctum, nunc, melioribus temporibus, denuo instaurarent ac resplendescere facerent.

BREVIS DELINEATIO
VITÆ VEN. SERV. DEI BARTHELEMY HOLZHAUSER,

Ac initii et progressuum Instituti Clericorum sæcularium in communi viventium. (Ex prædicta Romana editione 1684 excerpta.)

« Venerabilis vir Bartholomæus Holzhauser in pago Longnau, ad quatuor horas Dilinga, sub ditione Illustrissimorum DD. Comitum Fuggerorum sito, circa festum S. Bartholomæi 1613 natus, latinitatis rudimenta Augustæ Vindelicorum posuit; litteras humaniores Neoburgi ad Danubium; Ingolstadii vero Philosophicas et Theologicas disciplinas absolvit, ubi et S. Presbyteratus Ordine rite initiatus, die ipso festo Pentecostes 1639, in Capella B. V. Mariæ de Victoria primum sacrum fecit. Anno dein 1640 insequente, post studiorum suorum Theologicorum cursum, licentia Doctoratus Theologici insignitus, recta Salisburgum se contulit, prima vitæ Clericorum sæcularium in communi viventium restaurandæ fundamenta positurus; id quod, cum aliquot suæ intentionis Sacerdotibus, in Ecclesia Collegiata S. Laurenti in Tittmoning in Canonicum Curatum assumptus, ipso S. Petri ad Vincula die ejusdem anni reipsa præstitit. Anno 1642, jubetur esse Vicarius Reverendissimi et Illustrissimi Principis Episcopi Chiemensis, et Decanus ad S. Joannem in Leoggenthal; ubi usque ad annum 1655, cum magno subditorum ac pauperum, nec minori complurium Sacerdotum id temporis furorem Suecicum declinantium, ac aliorum quorumcumque quacumque animi perturbatione pulsatorum, subsidio et solatio persistit.

« Inde vocatus ab Eminentissimo Principe Electore Moguntino

Joanne Philippo, per triennium Decanus et Parochus Bingæ infra Moguntiam fuit usque ad 20 diem Maii 1658, qua sub horam nonam matutinam, in præsentia quatuor sacerdotum animam ejus Deo commendantium, cum perventum esset ad illa verba : *Subvenite Sancti Dei*, etc. inter sereni vultus indicia, Sacramentis Ecclesiæ rite provisus animam Deo reddidit, cum annos vitæ numeraret quadraginta quinque minus tres menses, atque secundum restitutam a se vitam communem in Clero sæculari superstes annos egisset octodecim, vidissetque non sine magno suo solatio eamdem receptam in binis Archiepiscopatibus Salisburgensi et Moguntino, nec non in Episcopatibus tribus Chiemensi, Frisingensi, ac Herbipolensi, majoribus identidem incrementis succrescere; in quorum posteriori non solum anno 1654 Clericis vitam hanc communem viventibus Seminarium et plura Parochialia beneficia collata sunt, sed ipsum etiam eorum Institutum anno 1655 publicis litteris (prout et anno 1644. ab Illustrissimo et Reverendissimo Principe Episcopo Curiensi, et anno 1653 a pariter Illustrissimo et Reverendissimo Principe Episcopo Ratisbonensi pro eorum Diœcesibus) approbatum, et commendatum per totam Diœcesim extitit.

« Porro ab obitu Venerabilis viri D. Bartholomæi, cura Sacerdotum ejusdem Instituti effecit ut anno 1661 Moguntiæ Seminarium pro eodem Instituto fuerit erectum, ac dein ipsius Constitutiones approbatæ, ac jussu et authoritate Eminentissimi Archiepiscopi anno 1662 primo impressæ publicatæque fuerint. Cujus prudentissimi Principis Electoris secutus exemplum Illustrissimus ac Reverendissimus S. R. I. Princeps Præpositus ac Dominus Elvacensis, Episcopatus Augustani id temporis administrator, huic Instituto, in Principatum suum in modo dicta Augustana Diœcesi existentem jam anno 1663 a se introducto, Beneficia aliquot Parochialia committi; et insuper Seminarium in civitate Dilingæ sub patrocinio S. Francisci de Sales, in Episcopum electus, anno 1665 erigi, ac ipsas etiam Constitutiones de-

nuo imprimi curavit. Annis dehinc 1666 in Diœcesin Passaviensem receptum, et 1674, in Archiepiscopatum Strigoniensem Regni Ungariæ Primatum introductum fuit idem Institutum, ibique anno 1676 approbatum, atque episcopis comprovincialibus singulari Archipræsulis illius zelo commendatum.

« Anno 1680, 26 aprilis, S. Congregatio Eminentiss. Cardin. in hunc finem specialiter deputata illud authoritate Apostolica approbandum censuit, sicut eadem authoritate die 7 Junii ejusdem anni a Sanctissimo D. N. D. Innocentio Papa XI. una cum Constitutionibus in forma specifica fuit approbatum et confirmatum, atque Romano Imperatori, diversis Archiepiscopis, Episcopis, et Principibus per Brevia Apostolica commendatum. Anno 1682, Rex Hispaniarum in ejusdem introductionem in Regnis suis cum Concilio Regio clementissime consensit, ac proinde favente Reverendissimo et Illustrissimo Episcopo in Civitate Gerundensi Seminarium cœptum fuit. Anno 1683, singulari Serenissimi Regis regni Poloniæ benevolentia, Reverendissimus et Illustrissimus Episcopus Posnaniensis idem Institutum in suum Episcopatum introduxit. Anno 1684, 7 April. Eminentissimus Cardinalis de Norfolcia, Regnorum Angliæ et Scotiæ Protector, eorumdem Regnorum Sacerdotibus et Alumnis Clericis omnibus et singulis illud pastoralibus litteris commendavit. Quod similiter quarto Cal. Julii Eminentissimus Cardinalis de Alteriis S. R. E. Camerarius Regni Hiberniæ Protector præstitit, idem Institutum Primati, Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, Sacerdotibus, et Alumnis clericis ejusdem Regni commendando. »

Hucusque illa delineatio initii ac priorum progressuum Instituti Clericorum sæcularium in communi viventium, quam ex Rom. edit. 1684 desumpsi. Porro, per reliquam sæculi XVII partem, ac subsequenti XVIII sæculo, Idem Institutum perseverasse noscitur et plura diversis locis seminaria rexisse. Quibusnam deinde causis, et calamitatibus temporum paulatim imminutum extinc-

tumque fuerit sat obscurum est. Utinam atque utinam restaurari aliquando queat! Quod donec fiat, hujus saltem Instituti sapientissimæ constitutiones, cætera que Barth. Holzhauser, quæ denuo edimus, eximia opuscula ad cleri ædificationem inservire valeant! Hoc sufficiens sane et abundans operis nostri pretium erit!

CONSTITUTIONES
CLERICORUM SÆCULARIUM
IN COMMUNE VIVENTIUM,

A SS. DD. NOSTRO INNOCENTIO PAPA XI APPROBATA DIE 7 JULII 1680.

CONSTITUTIONES SACERDOTUM.

PROŒMIUM.

Finis hujus Vitæ Clericalis non est novum Institutum, aut Reli-
ionem introducere; sed ipsummet Statum Clericalem et Eccle-
asticum à Christo fundatum et ab Apostolis observatum, sub
omediata RR. Ordinariorum potestate, omni prorsus exemptione
clusa, pure amplecti. Ut vero primæva ac genuina prædicti
tatus honestas tutius et sanctius conservetur, Sacerdotes hujus
tæ juxta antiquos Ecclesiæ Canones, secluso fœminarum con-
rtio, bini, terni, vel etiam plures simul, sub privata et œcono-
ica quadam unius Superioris directione ac inspectione vivent;
bona sua ecclesiastica in communes pios usus conferent:
que sic et privatam suam, et animarum sibi commissarum æter-
m salutem gnaviter promovere studebunt, prout sequentes
nstitutiones in certa capita digestæ uberius explicant.

Illud porro sibi persuadeant, se jurisdictioni Ordinariorum, in
orum Diœcesibus pro tempore beneficia, vel domicilia obtinue-
t (seclusa omni exemptione) semper manere subjectos: Quorum
oinde, uti et præcipue ipsius S. Romanæ Catholicæ Ecclesiæ
tris nostræ Dogmata, Jura, Decreta et consuetudines, pro

viribus observabunt atque defendent, quemadmodum à Clericis ea observari et defendi par est.

Cæterum Constitutiones hujus vitæ Clericalis in sex partes præcipuè dividuntur. Prima est de cura propriæ salutis et profectu in spiritu; 2a De communitate bonorum; 3a De fraterna cohabitatione: 4a De separatione mulierum; 5a De Obedientia; 6a Denique de cura animarum.

De cura propriæ salutis et profectu in spiritu.

I. Cum fides sit fundamentum et initium salutis æternæ, sublato omni proprio judicio, captivantes intellectum suum in obsequium fidei Jesu Christi, teneant promptam ac paratam voluntatem omnibus iis fidem ac obedientiam præstandi, quæ vera Christi Sponsa, ac S. Mater nostra Romana Orthodoxa Catholica Ecclesia, credenda, aut facienda declaravit, vel imposterum declarabit.

II. Per rectam intentionem in omnibus suis actionibus sincere gloriam Creatoris sui spectent, curentque, quantum in se erit, non solum se ipsos, verum etiam omnes alios, ad serviendum divinæ Majestati excitare propter Ipsammet, et propter nimiam charitatem qua prior dilexit nos, neque in ulla re se ipsos quærant, sed in omnibus creaturis, quemadmodum et in semetipso, Creatorem suum, et omnes in illo diligant.

III. Unusquisque perspectas habeat animi sui propensiones, et antevertere noverit tentationes, opponendo ipsis remedia, quæ quivis sibi cum divina gratia comparare et in promptu habere laborabit, inflectendo se ad ea quæ sunt contraria peccatis, et profectui spiritus conducunt; ut si quis animadverterit se ad superbiam, aut iram, aliamve passionem esse propensum, is exerceat se in rebus abjectioribus, et quærat ea quibus patientiam exercere, aut alii vitiosæ propensioni resistere possit.

IV. Ad virtutes solidas hominis sui interioris pro viribus inni-

tantur ; præcipuè vero studeant in sui ipsius cognitione veraque abnegatione, in Christiana simplicitate, in humilitate, patientia, charitate et timore Dei, cum prudentia et discretione plurimum excellere.

V. Propter amorem Christi Salvatoris sui libenter debent ferre injurias, persecutiones, contumelias et quævis opprobria, imo ex animo gaudere, si gratis odio habuerit eos mundus et contempserit : quæ omnia eo ardentius complectentur, quod sciant iisdem insignibus Dominum et Magistrum suum fuisse spectabilem.

VI. Cum ex sola voluntatis affectione (quantumvis etiam spirituali), vel subita boni verive apprehensione, ad agendum, vel omittendum præcipitanter et qua data porta ruere maxime semper sit periculosum, ideo affectus suos, etiam spirituales, ita refrænent, ut neque in agendo, neque in loquendo sint inconsiderati, aut præcipites; sed, re prius in oculis Dei discussa, pensent quæ honestas, utilitas, necessitas et veritas rebus agendis, vel omittendis subsit, quæve commoda, aut incommoda ex iis sint nascitura.

VII. Temperantiam in cibo et potu, ad majus Dei obsequium et perfectiorem carnis subjugationem, unice cordi habeant, et sancte semper conentur observare. Hinc convivia, quantum fieri potest, domi forisque evitent ; si vero humanitas, vel Christiana charitas subinde aliud prudenter suaserit, ex Superioris arbitrio stabit quid hac in re cum ædificatione permittendum sit; nemo proinde hisce citra jussionem se ingerat, aut proprio motu ad aliquod convivium accedere præsumat.

VIII. Quando itinerantur, apud hujus vitæ Sacerdotes divertant. Quod si in eorum defectu diversorium aliud eos capere necesse fuerit, memores sobrietatis et frugalitatis, diligenter caveant ne, cibi et potus abusu, animæ puritati et proximorum ædificationi aliquid officiant.

IX. Quia otium pulvinar Diaboli, et vitiorum carnis aliorumque plurimorum malorum mater esse noscitur, omni modo sibi prospiciant, ut semper, etiam extra statutas exercitationes ordinarias, honesta aliqua actione sint occupati, quam singuli pro capacitate sui ingenii et superiorum directione suscipiant.

X. Statutis Exercitiis diligenter suum tempus tribuant, uniformitatem omnes servent, et semetipsos utiliter de die in diem in sincerum servitium divinæ Majestatis impendant : hinc quantumvis aridi sint et desolati, fortiter nihilominus iisdem insistant, scientes, etiam absque stipendio cælestium consolationum, voluntati divinæ obsequium rationabile præstare, ejusque providentiæ et nutui, perfecta quadam voluntatis suæ cum divina conformatione, in omnibus sese subjicere ; quare constanter pergant, et ad devotionem in quibusvis difficultatibus se jugiter excitent.

XI. In suis spiritualibus exercitationibus viæ ordinariæ, secundum communes prudentiæ et discretionis regulas, insistant omnes ; et, ut se contra dæmonis illusiones tueantur, Superiorum et confessariorum ductum sequantur ; norintque modos tentationes et insidias maligni spiritus vitandi et superandi.

XII. Ad majorem in spiritu profectum, aut saltem ad necessariam illius conservationem, omnes quotidie in meditationem secundum exercitium trium animæ potentiarum, vel asceticam lectionem, ad minimum per mediam horam post matutinas preces incumbant, ad quam se pridie vesperi per horæ quadrantem præparaverint, eam, potissimum ex vita Christi et Sanctorum, materiam seligentes, quam sibi singuli magis profuturam existimabunt.

XIII. Aveant omnes quotidie celebrare, et ita vivere ut digne celebrare possint ; idcirco summo studio conentur conscientiam suam ab omni, etiam minima labecula mundam servare ; mortalem culpam plus quam faciem colubri formidantes. In hunc finem ad minimum semel in septimana sua peccata integre confitebuntur,

idque aliàs toties facient quoties necesse fuerit, et quotidiana tantorum mysteriorum tractatio requisiverit.

XIV. Ubi non est Chorus, Breviarium Romanum aliasque preces consuetas, unà cum conscientiæ examinibus, simul eodem loco et tempore, cum debita attentione et devotione, in Creatoris su laudem persolvere allaborent.

XV. Lectioni, studio, ac meditationi sacrarum scripturarum ea sedulitate ac frequentia invigilabunt, ut huic tam sancto exercitio, ultra tempus matutinæ meditationis vel lectionis supra nominatum, saltem unam adhuc horam quotidie impendant; et ad majorem fructum inde percipiendum, Sanctorum Patrum, probatorumque Interpretum explanationem desuper adhibeant.

XVI. Præter statuta Exercitia quotidiana, omnes et singuli cujuscumque Districtus Sacerdotes, in loco à Superioribus assignando, quot annis recollectioni spiritus sui per certos dies vacabunt : ad quam etiam extra hoc præscriptum parati esse debent, quando eam Superiores illis, aut utilem, aut necessariam esse judicaverint.

XVII. Non solum æquo animo accipiant si ad, majorem in virtutibus progressum, proprii defectus ipsis à Superioribus fuerint intimati; verum etiam ad aliorum correctionem viam sternant : quare si quis grave delictum, aut tentationem, vel ejus periculum in altero notaverit, de hoc Superiorem vel fideliter moneat, vel saltem desuper interrogatus veritatem aperiat, ut ipse, pro paterna in suos cura, periclitantibus convenienti remedio possit succurrere.

XVIII. Caveant Sacerdotes sese negotiis sæcularibus, aliisque rebus ad se non pertinentibus immiscere; et si quam causam civilem habuerint, sublimioris status sui intuitu in judicio personaliter non compareant, sed utantur Procuratore; quod si vero urgente necessitate, causam viduarum, pupillorum, aliarumque

miserabilium personarum suscipere charitas suaserit, non faciant id absque licentia Superiorum; in iis autem suo duntaxat consilio adjuvandis, memores sint modestiæ, et erga partes litigantes reconciliandæ charitatis.

De Communitate Bonorum.

XIX. Communitas bonorum hujus vitæ Clericos et Sacerdotes obligat ut redditus suos Ecclesiasticos, quocunque titulo obvenientes, quorum tamen libera dispositio de jure ad ipsos pertinet, in communes pios usus conferant, collatione stabiliter in vita et post mortem duratura (salvis juribus Sacræ Sedis Apostolicæ, et RR. DD. Ordinariorum), quam eo ipso facere censentur, dum vitæ huic communi se aggregant. Hanc porro communitatem bonorum eo ardentius coli decet, quod Christus Dominus cum Apostolis suis eam tenuerit, in Ecclesia Dei diu viguerit, et sacri Canones tam sancte ad eam hortentur. Igitur in Authorem vitæ Jesum Christum jugiter respiciant; et memores se, ad vindicandam veram libertatem filiorum Dei, et adipiscendas divitias gloriæ ejus, totum thesaurum suum in Cruce Domini suspendisse, laborent omnem affectum et inordinatam animi solicitudinem erga res temporales sic extirpare, ut solus Christus Crucifixus, velut summum bonum, uniuscujusque præcordia abundanter impleat.

XX. Quapropter, ut in majore pace domestica et quiete animi, Deo, sibi, proximo vacare et vivere possint, ubi plures simul habitant, unus eligatur, qui Beneficiorum et functionum Ecclesiasticarum redditus è manibus sacerdotum sibi cohabitantium recipiat, et singulorum necessitatibus ex æquo prospiciat, atque de receptis et expensis suo tempore superiori ordinatam rationem reddat.

XXI. Habitatio, victus, vestitus, lecti, pro diversitate locorum

uniformiter sic accommodentur, quemadmodum servos et ministros Dei, et Ecclesiæ decet; infirmorum tamen semper habita ratione. Sine expresso consensu Superioris nihil de uno in aliud domicilium transferatur : hinc caveant hospites, itinerantes, aut qui alio commigrant, ne quid, sive ex Bibliotheca libros, sive ex domo alias quascumque res, clanculum et pro libitu suo secum accipiant, ob confusiones et incommoda quæ ex opposito consequuntur.

XXII. Qui parentes, fratres et sorores in necessitate constitutos habent, œconomiam suam ita instituant et vivant, ut eos charitative juvare possint; ubi vero beneficiorum tenuitas id non patitur, ex dispositione Superioris defectus aliunde supplebitur. Illi autem qui ab ejusmodi onere juvandorum parentum, fratrum, sororum liberi sunt, ne arbitrentur rapinam id quod, ad obsequium pietatis et necessitatis, in suorum confratrum parentes, fratres et sorores ab eodem Superiore commendatos expenditur; verum sibi persuadeant (cum charitati fraternæ omnia sint communia), in suos impendi: unde qui non habent parentes, fratres, vel sorores in necessitate constitutos, sint tanquam habentes, gratiasque Deo agant, quod hac libertate eos donarit.

XXIII. Cæterum Communitas bonorum hujus vitæ clericalis, prout supra insinuatum, procedit solummodo de bonis intuitu munium, functionum, ac redituum Ecclesiasticorum quomodolibet quæsitis : bona autem patrimonialia sub libera cujusque dispositione relinquuntur ; cum hoc tamen moderamine, ut in iis dispensandis prima ac potissima pauperum consanguineorum ratio habeatur, bono nihilominus communitatis nostræ Clericalis non præterito. Ad evitandam vero omnem in hac disciplina Clericali et pace domestica confusionem, et alia incommoda, hujusmodi dispositiones patrimonialium diligenter consignentur, et Superiori, quoties ipsi videbitur, desuper ratio reddatur. Lites vero, si quæ super dictis bonis patrimonialibus movebuntur, non

à Sacerdotibus in persona, multo minus nomine Communitatis, sed per procuratores coram tribunalibus agitentur.

De fraterna cohabitatione.

XXIV. Duo, tres, vel etiam plures Clerici, pro locorum qualitate (conformiter antiquis Ecclesiæ Canonibus) eadem in domo ac mensa pie, sobrie, caste et fraterne cohabitent; nec facile aliquis solus exponatur, nisi locorum distantia postulet, eaque sit parochialium proventuum tenuitas, ut duo cohabitare non possint: tales vero soli exponantur, qui eam vitæ morumque constantiam probarunt, ut solitudo nihil periculi secum trahere merito credatur.

XXV. Ut autem hujus vitæ socialis disciplina, vitato otio, sanctius continuetur, et simul major proximo utilitas accrescat, teneros adolescentes in bonis moribus et litteris eo usque informabunt, prout singulorum capacitas, opportunitasque locorum permiserit.

XXVI. Ne tamen ipsi Clerici notitiam studiorum Theologicorum et Controversisticorum in scholis acquisitam deperdant, sese, etiam postquam ad animarum curam, aliasque functiones clericales applicati fuerint, in prædictorum studiorum exercitio diligenter occupabunt, et subinde in loco ad hoc deputando, per repetitiones et conferentias desuper instituendas, aliquod suæ industriæ ac profectus specimen exhibebunt.

XXVII. Fraternam charitatem et unionem sedulo observare nitantur, supportantes se mutuo in charitativa patientia, et infirmitatis propriæ recordatione; quemadmodum nos, et totum mundum in peccatis innumeris divina bonitas benignissime sustinet.

XXVIII. Quilibet Sacerdotum, quavis hebdomade pro Summo Romano Pontifice, et occurrentibus Sanctæ Ecclesiæ necessitati

bus, nec non pro incremento hujus vitæ Clericalis, et singularibus ejus Benefactoribus unam Missam faciat : menstrua vero sacra duo, unum quovis in loco pro ejusdem Ordinario, alterum pro defunctis Confratribus, et Benefactoribus, à singulis celebrentur. Quotiescumque etiam continget aliquem ex dictis Confratribus è vita decedere, præter consuetas exequias, quæ in sepulturæ loco peragentur, quivis Sacerdos hujus vitæ, pro salute animæ ejusdem, tria sacra legat: preces, et alia pietatis opera uniuscujusque libertati relinquuntur.

De separatione mulierum.

XXIX. Cum Sacerdotes quotidianum Christi Domini receptaculum sint, arctissimam castitatis custodiam omnes habeant, enitendo Angelicam puritatem imitari; ad quam obtinendam portas sensuum occludere, omnesque occasiones, et privata cum mulieribus commercia diligentissime fugere studeant.

XXX. Quare nullæ mulieres cum hisce Sacerdotibus in eadem domo habitent; sed quantum fieri potest, in administratione domus et culinæ, opera virorum utantur: si tamen familiæ rusticæ, vel alia inevitabilis necessitas, mulierum famulitium requirat, matres, vel sorores, si haberi possint, vel saltem tales suscipiantur, quas vitæ morumque honestas commendat; ea nihilominus separatione facta, quæ Superioribus videbitur fore sufficiens et necessaria.

De Obedientia.

XXI. Viam regiam sanctæ illius obedientiæ omnes teneant, quam locorum Ordinariis exhibere Clerici Sæculares communiter tenentur, quemadmodum hæc vita clericalis ab origine sui, sine exemptione, illorum jurisdictioni se subjiciens, sancte servavit, et

servare deinceps perpetuo debebit. Præterea omnibus et singulis dictæ vitæ constitutionibus, ac omnibus illis quæ eorum Superiores rationabiliter in Domino mandaverint, circa actiones et functiones suas privatas et œconomicas, perfectam quamdam obedientiam, non solum opere, verum etiam voluntate et intellectu, præstare pro viribus enitantur; salva semper in omnibus Ordinariorum authoritate et Jurisdictione.

XXXII. In obtinendis vel retinendis beneficiis, non proprium suum arbitrium, vel commodum spectantes, promptum semper et paratum animum habeant vel manendi, vel alio eundi; sic tamen ut in acceptatione, ac dimissione, seu renuntiatione ejusmodi beneficiorum, ordo debitus, et uniuscujusque Diœcesis consuetudo semper observetur.

XXXIII. Secundum subordinationem superioritatis et inferioritatis unusquisque in conversatione sua, vel officio, ab alio se dirigi patiatur: si quis tamen forte irrationabili et indiscreto imperio gravetur, ad Superiorem recurrat, qui pro sua discretione in Domino remedium afferet.

XXXIV. Superioribus suas necessitates candide aperiant, et amotis suspicionibus, eorum dicta, et facta ita accipiant, ut semper in meliorem partem interpretentur, etsi propriæ voluntati et judicio contraria esse videantur : maxime vero caveant murmura et factiones contra Superiorum dispositiones excitare; hæc enim mutuam charitatem scindunt, bonum regimen disturbant, et instar pestis corpus viresque Communitatis inficiunt, ac divino Spiritui adversantur.

De cura animarum.

XXXV. Cum pro nostræ vocationis scopo habeamus, juxta normam SS. Canonum (quoad melius fieri poterit) et vitæ Ecclesias-

ticæ honestatem puritatemque vivere, et simul per functiones Parochiales Dei honorem et salutem animarum, sincere atque vigilanter, cum propriæ perfectionis studio, per Dei gratiam promovere, idcirco Sacerdotes hujus vitæ singulari industria dictam animarum curam exercebunt, et quidem ea ferventi charitate ac solicitudine, ut neque in verbo, neque in opere, aut exemplo bono aliquid desideretur, quod ad oviculas sibi concreditas, etiam cum extremo vitæ periculo, rite pascendas conducere possit.

XXXVI. Sacramentorum itaque administrationem, Sacrarumque Cæremoniarum functiones, cum decenti gravitate et veneratione peragant. Ritus etiam ubique illos observent, quos Romana Ecclesia et locorum Ordinarii præscripserint.

XXXVII. Ad frequentem usum Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ populum fervide adhortentur; necessitatem, vim et effectus eorum explicando; maxime vero invigilent ut ægroti Sacro Viatico et extrema unctione mature provisi ex hac vita decedant.

XXXVIII. In prædicando Evangelio Christi, solius Dei gloriam et animarum salutem spectantes, ab omni invectivarum genere et acrimonia verborum in particulares personas abstineant, neque hominibus, sed Deo placere studeant; unde et ostentationem, et auditorum captui minus accomodatos conceptus fugiant; ea semper in medium proferentes, quæ, pro diversitate auditorii sui, populum in veritate Christiana erudire, aut in moribus corrigere, vel in charitate, aliarumque virtutum studio magis accendere apta sint. De quibus plura infra.

XXXIX. In sensu simplicitatis et veritatis Christianæ abundantes, Ecclesiæ traditiones, et Sanctorum Patrum doctrinas, præcipue vero Sacræ Scripturæ libros summe æstiment, venerentur, et sibi familiares reddant; quos non, ex propria sapientia interpretando, ad subtiles conceptus trahere, sed simpliciter ita

proponere studeant, prout est utile ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, et ad erudiendum in justitia, et prout Sancta Ecclesia, Sancti Patres, et Theologorum orthodoxorum consensus, sancte hactenus intellexit, et etiamnum intelligit.

XL. Doctrina catechetica, ad rudiores et parvulos in articulis fidei orthodoxæ, et moribus Christiano homine dignis rite instruendos, singulis Dominicis in Ecclesiis parochialibus uniformiter ex præscripto instituatur; ut sic ex naturalibus ignorantiæ tenebris ad lumen veritatis fidei, et in viam sanctæ conversationis traducantur.

XLI. Ad hoc plurimum juvabit, si scholas vernaculas (quæ magnum, præter alia commoda non pauca, doctrinæ catecheticæ cum fructu prosequendæ præsidium conferunt) ruri non minus quam in civitatibus, omni studio et solicitudine instituendas curent, frequentius visitent, et ea quæ in catechesi dicta, vel dicenda sunt, ludimagistrum parvulos suos docere jubeant.

XLII. Ex vernaculis hisce scholis aliqui bonæ indolis parvuli ad ædes parochiales assumentur, qui Sacerdotibus ad altare inserviant, mensæ ministrent, ad eam Scripturam Sacram legant, canereque et latine loqui paulatim addiscant; in mysteriis quoque Christianæ fidei, timore Domini, ingenuis moribus, bonis litteris, et aliis hujus vitæ Clericalis principiis instruantur; sicque ad omnem pietatem et morum honestatem ab ineunte ætate solicite educentur.

XLIII. Animarum fructum plurimum promoveri sciant, si parochiani sincera charitate foveantur: hinc ægrotos frequentius invisant, eisque, cum opus erit, ad ultimam luctam ex debito salutaribus monitis assistant, et confortent: pauperum vero, pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium et afflictarum personarum singularem quamdam curam habeant, earumdem necessitates et miserias, quantum fieri poterit, consilio, opera, solatio sublevando.

XLIV. In parochiis suis nihil novi incipiant, nihil mutent; verum consuetudinibus laudabiliter hactenus observatis insistant: maxime vero caveant ne in ullam controversiam, præsertim cum Magistratibus, se intromittant, nisi requisito prius Superiorum consilio, et impetrato consensu.

XLV. Hanc Clericorum sæcularium vitam diligant, defendant, propagent, et in vocatione sua, tanquam generosi milites in statione, quibuscumque adversis non obstantibus, constanter perseverent; ac pro firmiore harum constitutionum observatione et custodia, quandoque colloquia instituant, quibus id efficiant ne res suæ, sive spirituales, sive temporales, aliquid capiant detrimenti; et casu quo disciplinam dissolvi, vel œconomiam periclitari deprehenderint, provido maturoque consilio occurrant: quod ipsum assequentur facilius si quivis, in examine privato, juxta statum et conditionem suam, super his constitutionibus, cum proposito emendationis, diligenter se examinaverit.

XLVI. Denique hæ constitutiones sub peccato, per se loquendo, non obligant, etsi quis ad hanc vitam clericalem servandam per juramentum se adstringat. Solus autem ille perjurus censebitur, qui proprio motu se ab hujus clericalis vitæ et disciplinæ statu separaverit.

CONSTITUTIONES JUVENTUTIS

AD VITAM SACERDOTALEM CLERICORUM SÆCULARIUM IN COMMUNE VIVENTIUM EDUCANDÆ.

PROŒMIUM.

Finis hujus vitæ Clericalis est, et Clericos sæculares in commune viventes in honestate et disciplina clericali conservare, et

ingenuos adolescentes ad eamdem educare : unde qui hic aluntur firmiter sibi proponere debent quod, Sacerdotes facti, sub disciplina hujus vitæ ad incrementum Ecclesiæ Catholicæ militare, et sicut propriam, etiam aliorum salutem ex professo procurare velint. Quare qui ad hujus disciplinæ institutionem accedent, sibi persuadeant se vere in filios et in membra hujus Corporis suscipi : igitur seposito erga domum paternam et consanguineos inordinato affectu, eo magis Deum Creatorem suum, et spirituales suos parentes diligere debent, quo majora beneficia et pretiosiorem vitam omnino gratis ab ipsis accipiunt. Proinde hanc Clericorum sæcularium vitam, ut veram et charissimam Matrem habeant, illius disciplinæ ex animo se submittant, tradendo personas suas instituendas et erudiendas secundum voluntatem suorum Superiorum ; maxime vero ad perfectionem debitam, et gradum quemdam excellentem communitatis bonorum, dilectionis fraternæ, castitatis et obedientiæ ab adolescentia conentur, in quibus, veluti columnis, tota structura hujus vitæ Clericalis subsistit. Porro constitutiones hujus juventutis ad Vitam Clericorum sæcularium rite educandæ in tria potissimum puncta dividere visum est. Primum erit de pietate Christiana; alterum de morum honestate; tertium de studiis litterarum.

De Pietate Christiana.

I. Articulos fidei Catholicæ, eorumque fundamenta animis suis firmiter imprimere; item tam Sacramentorum virtutes, quam etiam significationes sacrarum Cæremoniarum, earumque congruitates probe addiscere studeant : ex quorum deinde scientia intelligant solam Ecclesiam Catholicam cœlestis sapientiæ et divinæ veritatis, insuper et morum laudatissimorum, in terris Magistram existere, extra quam salvari impossibile sit.

II. Nosse præterea debent, mundum, carnem et diabolum esse tres animæ nostræ capitales hostes, qui viam ad Cœlum tanquam

latrunculi obsidentes, suis hostilitatibus efficiunt ut tota vita hominis sit militia super terram, ad quam viriliter opportet accingi. In hunc finem sibi omnis generis practica principia ac media faciliora ex lectione et meditatione sacra comparabunt, quibus concupiscentiæ motus aliæque tentationes eludi, et muscarum instar possint ac debeant repelli. Huic rei maximopere deservient libri piorum Auctorum, quos Pater Spiritualis singulorum captui atque profectui idoneos judicaverit.

III. Frequenter sibimetipsis inculcent humani generis vilitatem, vanitatem, fragilitatem et nihilum, ut, ex hujuscemodi cognitione et quotidiana experientia, agnitionem sui ipsius paulatim consequantur. Item tam beneficia Creationis, Redemptionis et Sanctificationis, quam pœnas eorum qui iisdem abutuntur, sicut et quatuor hominis novissima perpetuo ob oculos ponant, ut sic vel ad amorem Dei gratique animi affectum, vel ad justum timorem Domini serio impellantur : super quæ, tanquam firma Christianæ vitæ fundamenta, olim solidarum virtutum ædificium exstruere oportet.

IV. Virtutum Theologicarum fidei, spei, charitatis, et Cardinalium prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, et justitiæ genuinam naturam practice addiscant. Ad hæc, in vera humilitate, patientia, abnegatione sui ipsius jugiter se exerceant, omnesque suas actiones in vera discretione instituere serio conentur : maxime vero quodnam in quavis virtute medium, et quænam vitiosa extrema sint, sedulo indagent : alias enim juvenilis impetus, ob suam immoderatam vehementiam, experientia teste, facile et plerumque ad extrema deflectit. Hic multum proderit si quilibet aliquid temporis certo cuidam vitio, vel particulari defectui extirpando, et virtuti oppositæ exercendæ, juxta majorem suam indigentiam et utilitatem, de consilio Patris spiritualis, vel quoties sibi alias visum fuerit, impendat.

V. Veram indifferentiam erga omnes res hujus mundi habeant;

solum illud optimum existimantes, quod a Dei et Superiorum voluntate dimanat: proinde promptam obediendi voluntatem, quæ omnibus hanc vitam sectantibus maxime necessaria est, à juventute sibi comparabunt.

VI. Tam primam innocentiam, quam castitatem mentis et corporis, ut pupillam occuli, illibatam conservare satagant: proinde principiis obstent, et omnes malas suggestiones sine cunctatione ex animo ejiciant.

VII. Ad sensuum suorum tam internorum quam externorum custodiam pro viribus attendant: maxime vero ab auditione rerum turpium, tanquam a facie colubri, fugiant, et si fugere non possint, reprehendant, vel saltem serio apud se detestentur.

VIII. Oculos suos ab omni curioso intuitu sexus fœminei, aliarumque vanitatum, quæ hominem fascinando inquinare, vel distrahere solent, solicite avertant. Hinc frænum timoris Domini sibi injicientes, foris et in templo oculos ab omni inordinata evagatione pro viribus cohibere nitantur; quod facilius consequentur, si præsentiam Dei et futurorum bonorum stabilitatem, respectu quorum hæc caduca vilescunt, animo jugiter revolvant.

IX. Turpiloquia, sicut et blasphemiæ procul arceantur; et si quis in his deprehensus, tertiaque vice correptus, emendationem effective non demonstraverit, tanquam pestis e consortio innocentum ejiciatur.

X. Ne rerum singularium usu ad avaritiæ sordes inclinentur, nemini liceat pecunias proprias, aut res alias clandestine possidere; et si quis a parentibus, consanguineis, tutoribus, aut quibuscumque aliis simile quid acceperit, non sibi seorsim reservet, sed in communi custodia Superiori asservandum tradet. Hinc etsi plutei ad asservationem quarumdam recularum studiosæ juventuti necessariarum singulis permittantur, Superior tamen ad eos clavem magistram habebit.

XI. Singulis diebus, statim post preces matutinas, mediam horam lectioni spirituali vel meditationi diligenter impendant, et quæ ex attenta lectione vel meditatione notatu digna deprehenderint, cum brevi reflexione primo memoriæ bene mandent, tum etiam in libro suo spirituali ad hoc deputato clare et breviter notent, ne thesauro spiritualis scientiæ defraudentur.

XII. Quotidie, tempore et loco sibi assignato, tremendo Missæ Sacrificio devote intersint; et sub eodem non solum corpus et animam, verum etiam omnes cogitationes, verba et opera sua Patri cœlesti per Jesum Christum in servitium offerant: et qui Officium parvum B. Virginis Mariæ necdum orant, Officium Immaculatæ Conceptionis a S. Sede Apostolica approbatum, una cum Hymno S. Casimiri pariter approbato, vel approbando, præcipue pro conservanda castitate persolvant: cum vero celebrans ad Communionem pervenerit, suam quoque spiritualem Communionem (prout didicerunt) instituant.

XIII. Qui vero in majoribus Classibus existunt, Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis pro incremento gratiæ vocationis Clericalis singulis diebus recitent; sic quidem ut Primam, Tertiam, Sextam, et Nonam sub Missæ Sacrificio; Vesperas vero et Completorium, cum Matutino et Laudibus pro die sequenti, tempore pomeridiano, paulo ante cœnam, in honorem Genitricis Dei, Reginæ et singularis Patronæ hujus vitæ Clericalis, pro temporum diversitate, alternis vocibus recitando persolvant.

XIV. In templo, sub Missæ Sacrificio aut Vesperis, vera pietate et modestia prælucentes, ab omni garrulitate et strepitu, oculorum curiositate, et inordinata mentis omniumque aliarum facultatum effusione se custodiant. Sub auditione Verbi Dei, januam alienis cogitationibus præcludendo, intellectum, memoriam et voluntatem, ad percipiendum debitum fructum, Concionatoris sermoni ex animo accommodent.

XV. Philosophiæ et Theologiæ studiosi singulis septimanis, et majorum totius anni Festivitatum diebus, conscientiam suam Sacramentali Confessione expiare, et ad Sacram Communionem accedere assuescant; qui vero in humanioribus Scholis existunt, saltem singulis quatuordecim diebus id observabunt: Confessariis autem confiteantur omnes, quos Superiores, vel ex hujus vitæ Clericalis Sacerdotibus, vel aliunde determinaverint.

XVI. Post Communionem aliquantum temporis in gratiarum actionem pro tanto beneficio, aliquam affectuosam orationem, vel ore, vel mente recitando, impendant: in qua omnia viscera sua, cum omnium necessitatum, tam suarum privatarum, quam publicarum Ecclesiæ explicatione, coram oculis divinæ Majestatis effundent, et in vulnera Christi hospitis amabilissimi abscondendo commendabunt.

XVII. Ut ab occultis sathanæ et naturæ vitiatæ insidiis facilius præserventur, ab adolescentia assuescant non raro cum Superioribus, Patre spirituali et Confessario super statu hominis sui interioris conferre; et iisdem graviores, præsertim extraordinarios, animi sui motus et impulsus candide aperire, id quod ad cognitionem et discretionem spirituum, an ex Deo sint nec ne, plurimum prodesse dignoscitur.

XVIII. Singulis annis recollectioni spirituali qui ejusdem capaces sunt, per aliquot dies vacabunt. Idem observetur in eorumdem susceptione ad hanc vitam, antequam juramentum præstent: adjungant etiam confessionem generalem totius vitæ, nisi ante eam fecerint.

XIX. Majores junioribus in observatione constitutionum, tanquam speculum veræ integritatis, pro viribus præluceant; et cogitent se a pueritiæ indulgentia ablactatos, jam ad veras et solidas virtutes evocari: proinde spirituali fulgore, studiosis nempe Virtutum et Exercitiorum hactenus præscriptorum actibus, in vera discretione ubique prælucere conentur.

De morum honestate.

XX. Ad eam integritatem morum omnes et singuli pro viribus attendant, ut castigiationibus non indigeant; et si deliquerint, cito contriti et humiliati fateantur suam culpam, atque cum proposito seriæ emendationis se Superioris arbitrio submittant, sustinentes libenter pœnitentias, quæ pro qualitate delicti fuerint injunctæ; idque sine resistentia, aut murmuratione, vel frivola excusatione.

XXI. Senectutem venerentur; et tam domi Superiores, quam foris Sacerdotes ac personas Ecclesiasticas quascumque, maxime vero præceptores suos, et omnes homines secundum cujusque status dignitatem, ex animo revereantur, ac debitum honoris titulum impendant.

XXII. In externis cæremoniis, quæ in modo dictæ reverentiæ signum solent adhiberi, hypocriticam pseudopoliticorum simulationem et ineptam gesticulationem ut pestem fugiant; e contra cum debita gravitate, modestia et decore, ut recta prudensque dictabit ratio, venerationem paucis ostendant.

XXIII. Quoties domi, vel foris, sibi invicem obviabunt, semper ii qui sunt in inferiori Classe adolescentes, altiorum Classium, omnes vero et singuli suos Superiores, aliosque Sacerdotes, honore debito præveniant; Majores quidem detecto capite, Superiores vero et Sacerdotes, etiam cum inclinatione corporis salutantes.

XXIV. Coram Superioribus et Majoribus se ultro non facile ad loquendum ingerant, ad interrogata vero paucis, modeste et graviter respondeant. Cum æqualibus ea agere et loqui expedit, quæ vel honestas, vel utilitas, vel necessitas commendat.

XXV. Quando advertent ex domesticis aliquem deliquisse, aut

ad delictum periculose inclinari, vel si aliud quodcumque scandalum patiantur, ad Superiorem debita cum modestia, loco et tempore congruo, fraternæ correctionis causa deferre teneantur, ut mature malo occurri possit.

XXVI. Contra correctionem Superiorum non murmurent, et si quid injuste sibi pati videantur, patienti taciturnitate prudenter sufferant, et, in meliorem partem accipiendo, cogitent, se de præsenti non intelligere correctionis mensuram. In primis autem caveant ne de suis Superioribus male loquantur, vel illos judicent, irrideant, aut illorum dicta, facta, correptiones, dispositiones, etc., sinistre interpretentur; multo minus talia suis sociis, aut (quod pejus foret), extraneis evulgent.

XXVII. Contra dispensationem necessariorum nullas factiones et murmura excitent; sed si quem defectum horum quomodolibet in veritate notaverint, competenti Superiori seorsim indicabunt, ut suo tempore et modo sciat remedium adhibere.

XXVIII. Ab omni specie mendacii abstinere; veracitatem vero, quæ inter præcipua bene moratæ juventutis ornamenta merito numeratur, tanquam pupillam oculi, in omnibus verbis et actionibus suis custodire studeant.

XXIX. Non adulentur, non pietatem fingant; neminem decipiendo verbis circumveniant; et in narratione rerum auditarum ab omni falsa amplificatione abstineant, ut sicut os loquitur, ita in veritate sentiat cor.

XXX. Nemo alterum mendàcii inciviliter arguat; nec in passione iræ erga se invicem effervescant, aut vindictam sumere quocumque modo attentent: ad competentem vero Superiorem, si rei gravitas postulaverit, rationabiliter et sine cupiditate vindictæ deferre nemo prohibetur, qui noverit optime in Domino providere.

XXXI. Sermone utantur modesto; non sapientiæ sublimitatem affectent, non falsæ humilitatis abjectionem; sed in omnibus curent simplicitatem, sinceritatemque Christianam servare, quibus ædificetur proximus, non offendatur.

XXXII. In iis quæ narrant, ambages et superfluos verborum ambitus, sicut et circumstantias ad rem non pertinentes abscindant, et modo recto ac plano ad scopum sui discursus festinent, aliis etiam discurrendi locum cessuri.

XXXIII. Seipsos præ aliis non extollant, neque interius in suis rebus sibi vane complaceant: multo minus seipsos, aut sua laudare, et per jactantiam magni facere præsumant: cogitare enim debent omne bonum esse desuper a Patre luminum.

XXXIV. Non sint morosi, erga omnes autem affabiles: mane et vesperi salutem invicem impertiantur: minores in alloquio a Majoribus et Superioribus affatum expectent; quod debitæ submissionis et verecundiæ signum fuerit.

XXXV. Tam vultus tristitiam et oculorum austeritatem, quam levitatem in seipsis omnes sic corrigant, ut suavitas cum gravitate, modestia vero cum magnanimitate in cujusvis vultu certare videatur; in hoc ipso tamen omnem simulationem et hypocrisim excludentes.

XXXVI. Exclusa omni levitate, in incessu gravitatem cum modestia cunjungant semper; incedendo non currant; in vestibus munditiem ament, sordes oderint, et in omnibus verbis actionibusque suis, gestus membrorum ac totius corporis compositionem talem exhibeant, quæ omnem hominem ædificare possit ac debeat.

XXXVII. Erga cibos in mensa appositos, ipsius appetitus sensualitatem sibi prædominari sic non sinant, ut gula rectæ rationis usum præveniat; quantum autem ad moderatam corporis refec-

tionem necessarium fuerit, comedant: in singulorum ciborum contrectatione debitam modestiam ac decorem in aliorum ædificationem observent: silentium quoque in triclinio sancte servetur; extra mensam porro ordinarie, sive domi, sive foris, abstineant, neque sine licentia Superiorum alibi comedant, aut bibant.

XXXVIII. Post mensam aliquantum temporis honestæ recreationi indulgebunt, sic tamen ut ab indecora corporis agitatione abstineant, et cum ea circomspectione ac modestia lætitiam attemperent, ut nemo prudens offendi queat.

XXXIX. Nemo autem, sive domi, sive foris, recreationi se subducere, vel ad alia loca, occasiones, aut consortia declinare, vel eo tempore, præpostero ordine, litteris operam dare, vel in loco solitario se tristitiæ, aut melancholiæ dedere permittatur: est enim tempus flendi, et tempus ridendi; omnia tempus habent.

XL. Quamvis humanum sit intra limites virtutis Eutrapeliæ jocari, et jocos aut sales ab aliis accipere ac tolerare posse; nihilominus tamen stultiloquia, scurrilitates, et alia, quæ honestatis terminos, mediumque discretionis excedunt, in nulla occasione tolerentur. Cum vero ex humana imperfectione, tam domi, quam foris contra dictas Eutrapeliæ et discretionis leges non raro peccari soleat, a teneris assuescant ne ita delicati efficiantur, ut nihil pati velint, aut possint, existimantes omnia sibi ex voto accidere debere.

XLI. Cum valde indecens sit proprium sermonem suis interpolare cachinnis, ideo in narrandis, vel audiendis leporibus ac facetiis, nolint aliis in ridendo palmam præripere; sed appetitum suum inhibentes, cum moderata suavitate oris sua loquantur, vel alios auscultent: aliis in risum solutis et ipsi subrideant, prout virtus Eutrapeliæ suaserit, vitando duo extrema, nimiam quidem austeritatem ex una, nimiam vero levitatem ex altera parte.

XLII. In recreationibus invicem verbis vel actionibus irritare,

aut insulsorum morum ineptiis molesti esse nolint, quibus alii ad tristitiam, nauseam, iracundiam, vel antipathiam provocentur.

XLIII. In auscultando alterius discursu, secluso omni contemptu, sagaciter observent quid is pulchrum, quid indecens effundat, indeque sibi documenta tacite efforment, quomodo se in simili occasione gerere velint, quæ cavere, quæ observare: loquentem autem proximum importune ne interrumpant, sed patienter audiant; indecens enim est audiri velle, audire vero non nisi impatienter.

XLIV. Nemini detrahant; aliorum dicta et facta in melius interpretentur; sinistre vero alios judicare, et amaris verbis perstringere, oderint cane pejus et angue.

XLV. Ubi duo, tres, vel plures fuerint simul, caveant ne defectus tertii (quisquis ille fuerit, domesticus, vel extraneus, Superior, vel æqualis) imprudenti ore suggillent; quod enim sibi quis fieri non vult, æquum est ne faciat alteri.

XLVI. Alterius dicta, vel facta, seu graviora, seu leviora videantur, tertio non revelent; sed ad Superiorem, si correctione indiguerint, cum debita modestia et commiserationis affectu deferant.

XLVII. Ab aliis audita sinant in se emori, quæ cum debita utilitate, necessitate, aut honestate non propalari possunt: quod fiet, si Superiores abolendæ garrulitati, adolescentes vero servando silentio dederint operam.

XLVIII. Si quis proximum, vel fratrem suum, de tertio male loqui audierit, hoc tertio non manifestabit; multo minus quæ tertius ille de eodem proximo dixerit, velut susurro effutiet: hæc enim quia discordiam seminant, etiam in rebus levibus, adolescentes odio capitali prosequi meminerint.

XLIX. Unus alterum vexando, irritando, vel defectus exprobrando ad iram non provocet; multo minus discordiam inter

fratres seminare, aut cum altero verbis, pugnisque contendere attentet; quæ omnia, sicut e diametro bonis moribus repugnant, ita in domo juventutis nequaquam tolerabuntur.

L. Quod si unus alterum læserit, cito in gratiam redeant, et qui illatæ injuriæ reus fuerit, injuncta pœnitentia, læsæ parti humiliter deprecando satisfaciat.

LI. Injurias tamen ab aliis sibi illatas nullo modo vindicare velint, scientes in patientia possidere animas suas; maxime si tantum in propriam personam sine alio nocumento redundare videantur.

LII. Si quando proximus in flagranti passione effervescit, qui sibi præsentes sunt cedant, illius iræ dando locum, ne similiter accendantur. Hinc neque corripiant quemquam in fervore animi constitutum, sed tempus congruum expectent, donec ardor sedetur, et sedata passione correctionis sit capax.

LIII. Nemo alteri quicquam furetur, aut ex petulantia abscondat: proinde serio sit omnibus interdictum aliorum musæa pervagari, aut pluteos lustrare.

LIV. Omnium rerum munditiem diligentes, non tantum in musæo libros, chartas, aliaque studiosis necessaria post singulos usus in ordinem componant; verum etiam in cubiculo vestimenta quæcumque inter sordes perire, et aliis nauseam creare non sinant.

LV. Longiores crines, aut comam non nutriant; sed proscripta indecora capillorum longitudine, modestam mediocritatem ex præscripto uniformiter omnes servent, ut caput honeste tegatur, non obruatur.

LVI. Seorsim dormiant omnes; totum corpus cum omnibus membris ad debitam honestatem componere, sicque compositum in obsequio servare assuescant.

De studiis litterarum.

LVII. Gratiæ Dei et naturæ talentis viriliter cooperentur; virtutumque studio illum scientiarum profectum conjungant, qui virtutibus adminiculetur.

LVIII. Tam in scholis quam domi, eliminata omni petulantia, explicationibus aliisque scholasticis exercitationibus sedula attentione aures præbeant.

LIX. Tempore studiorum nemo strepitum aut pulveres excitet, multo minus extra proprium musæum in domo vagetur, aut quocumque modo alios inquietare et a studiis impedire ausit.

LX. Concertationes scholasticæ absque clamore nimio, qui veritatem dubii solummodo confundit, sic instituantur, ut argumentans tarde et ordinate sua proponat, defendens vero patienter argumentum audiens ad formam respondeat. In se invicem non invehantur, neque fervore nimio vel ira excandescant: multo minus unus alterum confundere, sed rei propositæ veritatem eruere conentur, et ubi illius evidentia vel probabilitas constiterit, non violenter argumentum ex stimulo superbiæ intellectualis torquere præsumant, sed veritati vel probabilitati prudenter acquiescant.

LXI. A prandio, ante initium studiorum, mediam saltem horam cantui chorali addiscendo impendent omnes, a quo nemo eximi poterit. Hunc semel edocti, ad cantus figuralis, vel musicæ instrumentalis varia exercitia pro cujusque capacitate applicabuntur.

LXII. In quibus quilibet privatim deliquit, etiam privatim castigetur; publica vero delicta publica pœnitentia intra domesticos parietes mulctentur, ut sic scandalum tollatur, et alii a similibus absterreantur.

CONSTITUTIONES

PRO SPIRITUALI TEMPORALIQUE DIRECTIONE

INSTITUTI CLERICORUM SÆCULARIUM

IN COMMUNE VIVENTIUM,

A SS. DD. NOSTRO INNOCENTIO PAPA XI APPROBATÆ DIE 27 AUGUSTI 1684.

PROŒMIUM.

Quemadmodum Institutum Clericorum Sæcularium in commune viventium, a Sancta Sede Apostolica jam approbatum, tria præcipue intendit : Primo juventutis in virtutibus et necessariis studiis (conformiter sacro Tridentino Concilio sess. 23, de reformatione cap. 18) institutionem, ut hac via semper boni Clerici, ad præscriptam in hoc Instituto vivendi normam educandi et instituendi, in Ecclesia Catholica, ad procurandam salutem animarum, haberi possint ; — Secundo privatam Clericorum sive Sacerdotum Curatorum et in aliis beneficiis actu existentium directionem, qua, Deo benedicente, contra graviora pericula sæculi, cum Clericalis ordinis decore, secure subsistere valeant ; — Tertio curam Sacerdotum senum, aliorumque ex quocumque casu vel defectu ad munia et functiones Ecclesiasticas inhabilium ; — Ita et constitutiones præsentes, pro directione Superiorum ejusdem Instituti, in tres partes, eo, quo sequitur ordine distinguuntur :

PARS PRIMA.

QUÆ AD DIRECTIONEM STUDIOSÆ JUVENTUTIS ET SEMINARIORUM PERTINET.

Superiores in susceptione singulorum Adolescentum provide attendant ut tam innocentia integros, quam ingenio et indole præstantiores, servatis servandis, admittant : in hunc finem, ad puerorum ingenia in oppidis et aliis locis à Sacerdoribus circumspiciatur, qui ex omnibus ad propositum hujus clericalis vitæ habiliores videantur.

II. Deinde aliqui bonæ indolis Pueri ad Domum Sacerdotum in Parochiis, cum consensu parentum, recipiantur; et in certis locis tam hi quam alii Adolescentes à Sacerdotibus in rudimentis et Grammatica informentur, ut pro receptione ad Seminaria qualificentur.

III. Ut, exclusis ineptis aut indignis, talis delectus fiat, Superiores studeant accuratam suscipiendorum notitiam præhabere, ne dimissio post facienda damno aut cuiquam oneri sit.

IV. Suscipiendi, quantum fieri potest, habeant vehemens quoddam desiderium studendi; præstantis aut saltem mediocris sint ingenii; pietate in Deum, ac devotione erga Deiparam, speciem filiorum Dei de se præbeant; naturalisque eorum indoles ad virtutum viam facile flexibilis sit.

V. Animo ita sint composito et supra sæcularia desideria humiliter elato, ut modestiam, submissionem intellectus et voluntatis, flexibilitatem practicam ostendant; moderata quoque iræ et aliarum passionum temperies, et filialis quidam affectus erga hoc Institutum ita in illis elucere debet, ut prudenter conjici possit quod

fructuose et filialiter hunc clericalem statum suo tempore sint exornaturi.

VI. Priusquam ad seminaria suscipiantur, Superiores notitiam parentum, educationis puerorum, aliarumque circumstantiarum, item Testimoniales studiorum et natalium habeant; fiat examen practicum studiorum, et alia omnia observentur quæ pro seminariis præscribi solent. Quibus peractis, admittendi Superioribus hujus Instituti simplicem promissionem faciant, quod in hac Clericali vita, quantum fieri potest, ad dies vitæ vivere intendant; ita tamen ut, si in progressu temporis sub studiis a proposito ex rationabili causa recederent, solum modo sumptus eorum sustentationis causa factos refundere obligati sint; nisi paupertas excuset; aut qui ditiores sunt, ob morbum vel aliam rationabilem causam, et non ex culpa aut propria voluntate eorum dimittantur.

Adolescentes in Seminariis in tres studiorum Classes distribuendi, eorumdemque obligatio ad hoc Institutum.

VII. Ut Juventutis educatio debito ordine instituatur, illa in tres classes studiorum distribuatur, per quas, tanquam per gradus, Juvenilis animus ad scientiarum et virtutum viam in ordine ad Clericalem statum sursum ducatur.

VIII. In prima Classe erunt Adolescentes tonsura Clericali non insigniti, a syntaxi usque ad Rhetoricam inclusive, et hæc prima classis pro qualitate meritorum ordinanda erit.

IX. Secunda classis complectitur Philosophos, a principio usque ad finem Philosophiæ, qui, suscepta tonsura Clericali, se dignos reddiderint ut jam solidius in disciplina et scientiis adolescant.

Ut prædicti Adolescentes sic admittantur, requiritur: Primo, ut singulis annis gradum ad altiorem scholam fecerint, et in

summo vel saltem mediocri gradu docti ex Rethorica ad philosophiam sint promoti; Secundo, ut quantum fieri potest, sint in æquali ætate; Tertio, ut illud specimen morum, maxime fraternæ concordiæ, modestiæ et obedientiæ dederint, quod solidam spem faciat eos strenuos hujus Clericalis vitæ et Ecclesiæ Catholicæ milites evasuros; Quarto, ut revelationem sui hominis interioris filiali candore eos fecisse judicetur; Quinto, ut zelum animarum, pietatem erga Deum et Sanctos, et affectionem erga res cœlestes habere agnoscantur; Sexto, ut nullum Canonicum impedimentum, vel corporis deformitatem ac defectum contraxerint, quæ huic Clericali statui damnosa esse possint. In defectu autem prædictarum qualitatum potius mature dimittendi erunt: prædictis vero concurrentibus, et promissione Superioribus hujus Instituti facta quod in hac Clericali vita constanter vivere velint, ad secundam Classem admittentur.

X. In tertia classe continentur Theologi, Canonistæ aliique, a fine Philosophiæ usque ad Sacerdotium, qui tales vita et moribus extiterint, ut de illorum Clericali vocatione rationabiliter dubitari non possit; et hi, susceptis minoribus ordinibus, juxta studia publica in Universitatibus, Domi, sive in Seminariis, potissimum in iis quæ ad salutem animarum procurandam necessaria sunt, informabuntur.

XI. Priusquam vero ad eam classem admittantur, per juramentum ad hoc Institutum se obligabunt, ita quidem ut qui alumni simul fuerint in Seminario cujusdam Ordinarii, vel alterius Patroni, Instituto concredito, ad instar illorum ab Archiepiscopo Monguntino, et Episcopo Herbipolensi, et Augustano Instituto concreditorum, utroque respectu tam erga Ordinarium loci quam erga Institutum sequenti formula id præstent:

XII. « Ego N. filius N. Diœcesis N. Seminarii N. Alumnus,
« plenam habens Instituti Clericorum Sæcularium in Commune
« viventium, et hujus Seminarii statutorum notitiam, legibus et

« constitutionibus utriusque me sponte subjicio, easque, quan-
« tum in me erit, observare promitto. Insuper spondeo et juro
« me sub juridictione Reverendissimi (vel Eminentissimi) Domini
« Ordinarii mei, seclusa omni exemptione, in supradicto Insti-
« tuto Clericorum qui, secluso fœminarum consortio, bini, vel
« plures pro locorum qualitate cohabitant, et bona sua ex bene-
« ficiis et functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes
« pios usus, juxta constitutionem 19. Sacerdotum, conferunt,
« atque sub privata et œconomica unius Superioris directione
« vivunt, sive intra sive extra Seminarium semper victurum et
« moritutum. Insuper spondeo et juro quod, dum in hoc Semi-
« nario permanebo, vel alibi applicatus fuero, si urgens neces-
« sitas a Superioribus hujus Instituti approbata mutationem
« status postularet, nullam Religionem, Societatem aut Congre-
« gationem regularem, vel etiam quemcumque statum sine spe-
« ciali ejusdem Reverendissimi Domini Ordinarii mei licentia
« ingrediar. Denique spondeo et juro me prædictum Juramen-
« tum ejusque obligationem intelligere et observaturum. Sub
« die N. Mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta
« Dei Evangelia. »

XIII. Qui vero alumni in Seminariis Ordinariorum non fuerint, et in Seminariis huic Instituto propiis educantur, Juramentum in formula sequenti præstabunt.

« Ego N. Filius N. Diœcesis N. plenam habens Instituti Cleri-
« corum Sæcularium in commune viventium notitiam, legibus et
« constitutionibus ipsius me sponte subjicio, easque, quantum in
« me erit, observare promitto. Insuper spondeo et juro me
« sub directione privata et œconomica Præsidis supremi, ejus-
« que in hoc munere legitimis successoribus, salva per omnia
« Reverendissimi Domini Ordinarii mei auctoritate et Jurisdic-
« tione, in supradicto Instituto Clericorum qui, secluso fœmina-
« rum consortio, bini, vel plures pro locorum qualitate cohabi-
« tant, et bona sua ex beneficiis et functionibus Ecclesiasticis

« provenientia in communes pios usus, juxta constitutionem 19.
« Sacerdotum, conferunt, semper victurum et moriturum. Insuper
« spondeo et juro quod, dum in hoc Seminario permanebo, vel
« alibi applicatus fuero, si urgens necessitas à Superioribus
« hujus Instituti approbata mutationem status postularet, nullam
« Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem, vel
« etiam quemcumque statum, sine speciali supremi Præsidis hujus
« Instituti licentia, ingrediar. Denique spondeo, et juro me præ-
« dictum Juramentum ejusque obligationem intelligere et obser-
« vaturum. Sub Die N. Mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet,
« et hæc S. Dei Evangelia. »

XIV. Juramento prædicto non obstante, facile ante susceptos majores Ordines, circa finem studiorum suscipiendos, ob rationabilem causam adolescentes ad Sæcularem statum, habita debita licentia a Superioribus hujus Instituti, et insuper, si Alumni ejus sint, a Reverendissimo Ordinario, transire poterunt; ne inviti aut gravem difficultatem sentientes ad statum Clericalem trahantur, in quo postea ad scandala declinent; solutis prius sumptibus sustentationis, nisi illis, in hoc casu, pro parte aut ex integro condonentur.

De rebus Spiritualibus et aliis in quibus Adolescentes, juxta Cursum studiorum, in Seminariis informandi sunt.

XV. Juxta Classium prædictarum distinctionem Juventus etiam tres vias spirituales tenebit, videlicet : viam purgativam, in qua ad vitæ innocentiam, ad moderandas passiones, ad fugienda peccata, pro cujusque ætate et data gratia sedulo impellantur ; Viam illuminativam, in qua dogmata fidei nostræ Catholicæ universæque doctrinæ Christianæ principia, et proprii sui hominis interioris cognitio, una cum facilioribus recte vivendi regulis, ipsis ex proposito mature instillentur ; Viam denique perfectivam, in qua ad consequendam perfectionem status Clericalis sibi possibilem et Ecclesiæ salutarem conabuntur.

XVI. Ut adolescentes in prædictis instituentur, saltem singulis diebus Dominicis a meridie, per horam, in loco cujusque classis, Pater Spiritualis certam materiam ita succincte et clare tractabit, ut singuli terminorum seriem memoriæ tradere, et prædictarum viarum scientiam successive facili negotio assequi valeant.

XVII. Ante omnia Magistri virtutum Adolescentes primæ classis instruant de recta intentione, de examine aliisque exercitationibus spiritualibus persolvendis, et quomodo sub sacrificio missæ spiritualiter communicare possint. In scientia quoque rerum cœlestium ex professo a Patre Spirituali probe perito informentur. In Doctrina Christiana, principia fidei uberius quam in communi parvulorum Catechesi fieri solet, ex Catechismo Romano per ordinem iisdem trandantur, uti et significatio Sacrarum cœremoniarum, virtus Sacramentalium, et similia.

XVIII. Contra insidias hostium spiritualium caute roborentur per instructionem cognitionis sui ipsius, et diversarum tentationum notitiam : in quem finem inserviet libellus B. Salesii Philothea dictus, et ille qui de imitatione Christi inscribitur, ex quibus Pater spiritualis, uti etiam ex materia de discretione spirituum, clientes suos prudenter informabit.

XIX. Pariter Magistro Spirituali curæ sit ut, ex cognitione Dei et beneficiorum ejus, clientes suos ad divinum et filialem amorem; ex præstantia et benignitate B. V. M., ad ejusdem devotionem ; ex custodia Sanctorum Angelorum et meritis Sanctorum, ad eorum cultum ac Patronorum electionem ; ex quatuor novissimis et pœnis impiorum, ad timorem Domini ; ex notitia passionum, ad propriam cognitionem, et ex hac ad sui ipsius contemptum et diffidentiam ; atque ex aliis virtutibus spiritualibus ad studium rerum cœlestium impellantur : super quæ, tanquam rudimenta, solidæ virtutes successu temporis ædificentur.

XX. Ut Adolescentes secundæ classis in via spirituali progre-

diantur, à Patre Spirituali in modo meditandi instruantur; et non tantum præcepta meditandi tradat, verum etiam in praxi ostendat quomodo ex particulari themate meditatio ordinanda sit; materiam quoque subinde eisdem designet, eamque in puncta dividat; peracta quoque meditatione, examen desuper instituat, in quo successus examinetur et errores per utilia documenta ostendantur: ea vero materia, pro hac classe studiorum, ex doctrina et vita Christi et Sanctorum desumatur, quæ ad extirpationem vitiorum et solidarum virtutum implantationem ordinata visa fuerit.

XXI. Post instructionem de modo meditandi, Pater Spiritualis ad tradendam Christianarum virtutum et oppositorum vitiorum doctrinam progredietur, quam ex materia de Christiana Clericorum perfectione desumet, instruendo clientes suos primo in virtutibus theologicis, ex quibus Deum timere et diligere addiscant; deinde naturam et finem virtutum Cardinalium, quæ sunt veluti columnæ salutis nostræ, eosdem instruat; non minus de vera humilitate, patientia, et abnegatione propriæ voluntatis, earumque oppositis defectibus informentur, et denique in omnibus aliis virtutibus quibus homo interior in ordine ad salutem æternam perficitur: medium quoque discretionis in omni virtute perspicuis rationibus et exemplis practice edoceantur, ne ad extrema deflectant.

XXII. In hunc finem inserviet libellus qui inscribitur pugna spiritualis, a S. Francisco Salesio summopere commendatus, accedente practica instructione Patris Spiritualis ad pugnandum contra passiones et vitia per virtutes oppositas, præsertim contra vitium quoddam particulare, super quo, ejusque virtute opposita exercenda, etiam particulare examen frequentius instituendum erit: in quibus, et in omni alia congrua occasione, pater spiritualis clientibus suis practicum exercitium ad manus dabit.

XXIII. Ex singulis erroribus occasio se erudiendi, et contra vitia

pugnandi, propositumque in posterum formandi, adolescentibus a Patre Spirituali ad manus detur, ea practica instructione qua virtutis via et ipsum exercitium congrua perspicuitate pateat, et animus ingenuus cum facilitate et jucunditate ad illud inducatur. In quem finem Pater Spiritualis cum clientibus suis toties colloquium particulare instituet, quoties singulorum indigentia propria requiret; exercitia quoque spiritualia annua statuto tempore eisdem præscribet.

XXIV. Adolescentes tertiæ classis, vocationis suæ clericalis scopum mature cordi habentes, viæ perfectivæ se accingant; ut eorum homo interior et exterior in omnibus iis qualitatibus perficiatur, quæ ad salutem proximorum imprimis ordinantur; ut jam non solum sibi, verum etiam aliis vivere et studere incipiant.

XXV. Postquam in reformatione hominis sui interioris rite instructi fuerint, viæ regiæ virtutum insistentes, ad reformandum suum hominem exteriorem convertentur, eas virtutes et qualitates sub directione Patris Spiritualis sibi comparando, quæ in statu Clericali ad vitam activam in hoc sæculo necessaria sunt; in quem finem informabuntur per ordinem in exercitio externarum virtutum, qualiter se erga omnis generis homines christiane exhibere debeant; similiter de discretione spirituum, et universo officio pastorali in multa charitate præstando practice erudiantur, ut in singulis actionibus secundum unam uniformemque normam se moderari sciant.

XXVI. Primum locum, in ordine doctrinæ, discretio obtinebit, tanquam moderatrix humanarum actionum; et cum duo hominem exteriorem in ordine ad vitam activam perficiant, primo ipsæ virtutes, secundo modus operandi ad extra, adolescentes in utroque informandi sunt.

XXVII. Inter virtutes, quoad modum instruendi Juventutem, prima est mansuetudo hominis Christiani, consistens in verbis et

actionibus, quæ erga omnes omni occasione superabundare debet; deinde humilitas conjuncta tamen cum decore vestium, actionum, verborum, et totius hominis venustate personæque sacræ gravitate. Tertium locum affabilitas sibi vindicat, ut cum Christiana suavitate ad ædificationem conversatio fiat : cujus comes est modestia, plurimarum rerum moderatrix, quæ effusionem nimiam sui ipsius coercet. Sequitur eutrapelia, ut cum jucunditate recreationi locus detur : deinde charitas externa, quæ præ se aliis cedit, in multis condescendit, pacem cum omnibus habet, et alios obsequiis prævenire gestit, neque est sensitiva aut apprehensiva.

XXVIII. Præterea modum recte operandi ad extra aliæ quædam virtutes principales discretum reddunt, quæ sunt prudentia, fortitudo spiritus, justitia, temperantia, et circumspectio.

XXIX. Inter objecta operandi ad extra, conversatio, utilis in omni occasione et quæstione proposita cum omnis generis hominibus, primum locum obtinet : cui succedit modus catechizandi parvulos cum ratione et dexteritate : item modus docendi scholas particulares, ut adolescentes ingenio præstantes in doctrina proficiant : item discretio spirituum, ingeniorum, et naturarum.

XXX. Præsertim vero modus audiendi confessiones, juvandi animas, agendi cum ægrotis, scrupulosis et desperabundis, pusillanimibus, melancholicis, et aliis hominibus qui vel corpore, vel sensu, vel anima periclitantur; qua scilicet dexteritate ad eorumdem medicinam salutarem et ædificationem sit agendum : cui succedit modus concionandi et perorandi, ut animæ utiliter ac nervose sale verbi Dei condiantur. Sequitur modus administrandi res temporales, ut cum debita dexteritate et discretione, sine nota avaritiæ et prodigalitatis in omnibus agatur. Denique modus regendi sibi subditos, tam sæculares in beneficiis curatis, quam ipsosmet hujus Instituti clericos, cum moderatione, dexteritate, charitate ad ædificationem.

De quotidianis exercitationibus, frequentatione scholarum, et repetitione domestica.

XXXI. Superiores enixe laborent quatenus Adolescentes omni tempore honesta aliqua occupatione a vago mentis intuitu et otio revocent : In quem finem distributio diurni temporis in quovis Seminario ordinetur, quæ ejusmodi (mutatis mutandis) esse poterit :

XXXII. Mane surgentes statuto tempore, ea observent quæ in stationibus sunt præscripta; quibus finitis Adolescentes inferiorum scholarum per quadrantem horæ lectionem spiritualem instituant, studiosi vero secundæ et tertiæ classis per mediam horam meditentur ; deinde omnes simul Sacrificio Missæ devote intersint : reliquo tempore studiis invigilent usque ad tempus frequentandi scholas : post scholas, si tempus supersit, studia continuabunt : uno quadrante ante prandium litanias omnium Sanctorum juxta stationes persolvent : sub prandio et cœna studiosi tertiæ classis per ordinem legent scripturam sacram, constitutiones, aliosque libros asceticos, juxta Superiorum dispositionem; studiosi vero secundæ classis per ordinem ad secundam mensam legent.

XXXIII. Post prandium recreatio uniformiter ab adolescentibus observetur : finita recreatione aliquid temporis addiscendo cantui tribuant : Theologi vero maturiores pro illo tempore in cœremoniis et ritibus sacris exerceantur : postea rursum studiis invigilabunt, ita tamen ut Theologi per quadrantem horæ ante studia in Sacræ Scripturæ explanatione se exerceant : finita frequentatione scholarum, assignato tempore studia vel repetitiones fient : uno quadrante horæ ante cœnam pro meditatione sequentis diei se præparabunt : Post cœnam diebus veneris et sabbathi breve colloquium spirituale paulo ante rosarium instituetur.

XXXIV. Diebus festis et Dominicis, tam sacrum solemne quam

concio captui et fructui adolescentum accommodata in Seminariis pro adolescentibus trium harum classium habeatur: reliquum tempus pro Superiorum ordinatione utiliter impendent.

XXXV. Prædictis his diebus, finita schola spirituali et Vesperis cantatis, exercitia reliqua ut diebus aliis perficient. Cœterum ad Divina Officia aut conçiones foris frequentandas non facile emittantur; sub cœna, loco lectionis, theologi per ordinem succinctum Sermonem per modum concionis in lingua vulgari habebunt.

XXXVI. Ad scholas publicas, ubi adsunt, cujusque loci, audito prius domi sacro mittentur, servato a Rectoribus Gymnasiorum et Universitatum præfixo tempore. Ad scholas per plateas bini modeste incedant, ac finitis scholis sic revertantur prudentiore semper directore constituto. In scholis seorsim ea modestia sedeant, ut aliis morum exemplum præbeant.

XXXVII. Ut Adolescentes primæ classis solidius in studiis progrediantur, iis Pædagogos quosdam domesticos pro repetendis lectionibus et conficiendis argumentis superiores adjungant, qui eisdem pariter in disputationibus domesticis præsint, et in studiis suis per omnia ad debitum profectum sedula diligentia eosdem excolant.

XXXVIII. Philosophi, præter privatas inter se repetitiones, singulis septimanis, determinata die, repetitionem omnibus præsentibus per ordinem habebunt, et in fine studiorum suorum prævio examine domestico, nisi ad publicas in Universitatibus defensiones fuerint admissi, saltem in Seminario ex universo studio suo theses defendent.

XXXIX. Adolescentes tertiæ classis, ex theologia speculativa, statuto die, una hora repetitionem instituant; similis repetitio, saltem singulis mensibus semel, distinctis diebus, instituetur ex theologia Morali, jure Canonico, et studio controversistico, juxta

particularem superiorum ordinationem; uti et Scripturæ Sacræ expositio, et repetitio pastoralis; pro quibus utiliter expendendis universo studiorum negotio præficiatur unus Sacerdos, qui in singulis studiis aptior ad hoc præstandum judicabitur.

De Œconomica Ordinatione Seminariorum, victu, et vestitu Adolescentum.

XL. Universim Superiores pro viribus laborabunt ut Seminaria bene sint ordinata, eorumque debita cura habeatur. Pro custodia domus ac Januæ homo laicus fidelis et maturus constituatur, qui sine expressa Superioris licentia extraneos ad Adolescentes in domum non intromittat, aut Adolescentes exire permittat; coqui et alii domestici pariter sint fideles, maturi, patientes, et charitativi.

XLI. In communi oratorio et refectorio suas consuetas preces omnes persolvant, ac refectionem sumant; cætera in tres contignationes distinguantur, et in singulis singularum Classium juventus in uno amplo Musæo, vel duobus cohabitent, ibique repetiones solitæ peregantur.

XLII. Pariter unum vel duo dormitoria in quavis contignatione, cum annexa camera Magistri spiritualis constituantur; ita ut in dormitorio omnes et singuli, cum certa interdistinctione secundum debitam honestatem, extra conspectum mutuum seorsim dormiant.

XLIII. In victu et vestitu omnes æqualiter habeantur, et ingenue eatenus tractentur, quatenus animorum ingenuitas ad superandos studiorum labores magis jucunditate quam servili timore excitetur.

XLIV. Unde mensa quotidiana frugalis erit, ut non solum temperantiam, una cum vera ingenuitate ab adolescentia imbibant, sed etiam bonam corporis complexionem, animumque alacrem acquirant. Color vestium perpetuo niger sit; qualitates autem

cœteræ nullam vanitatem, aut inæqualitatem, vel luxum, sed magis honestatem et modestiam demonstrent.

XLV. Pro servando debito in omnibus ordine, sit in quovis Seminario horologium, et campanula exactæ temporis distributioni serviens ; sit item infirmaria ex qua ad Oratorium fiant fenestræ per quas infirmi quotidianum sacrum, ac preces reliquorum valeant percipere.

XLVI. Superiores debite attendant ad Bibliothecam, vestiarium, dormitoria, cellam, culinam et similia : claves ad portam Seminarii noctu Director habeat.

De distinctione, receptione et fundatione Seminariorum.

XLVII. Seminaria Juventutis possunt esse Pontificia, et alia his similia, pro Clericis et animarum curatoribus ad quasvis mundi partes mittendis ; vel Regum ac Principum pro certis Regnis et Provinciis ; vel Archiepiscopalia et Episcopalia pro Archidiœcesi, aut ampliore Diœcesi, et denique Seminaria propria hujus Instituti, erecta et fundata per patronos, et per media communitatis, præcise pro hoc Instituto ; quorum ultimorum, quoad media fundationis, plenum Dominium penes idem Institutum erit : Quoad reliqua Seminaria, quorum Dominium, vi fundationis, ad Patronos spectat, vel Patroni certa media pro fundatione stabili huic Instituto, aut tantum certos annuos proventus Directoribus Seminariorum consignare poterunt, ex quibus certus studiosorum numerus sustentetur.

XLVIII. Adolescentes, qui vi Alumnatus ad certas Diœceses, aut Provincias obligantur, non nisi ex speciali favore patroni, in casu alicujus specialis necessitatis, alio mitti possunt ; substituta tamen si ita Patronus requirat altera persona qualificata. Educati quoque in Seminariis huic Instituto propriis, etsi at certam Diœcesim non obligentur, regulariter tamen in territorio ubi Semi-

narium situm est manebunt, et quando illa Diœcesis indiget, eidem inservient, ita tamen ut in casu necessitatis ad quæcumque loca ex ordinatione Superiorum hujus Instituti mitti possint.

XLIX. Media pro fundandis Seminariis eidem Instituto propriis haberi possunt, vel ex collatione redditUum Ecclesiasticorum juxta Constitutionem 19. Sacerdotum, aut ex bonis hæreditariis ex libera voluntate sic applicandis, aut demum ex illis quæ a Patronis sponte conferuntur : Ita tamen ut personæ particulares hujus Instituti ex redditibus suis primo propriæ Parochiæ, seu beneficii oneribus sufficienter prospiciant, et superiores, ex mediis in massa communi jam collectis, aliis Instituti æque vel magis necessariis communibus oneribus similiter prospiciant.

L. Ubi Seminaria jam fundata existunt, quæ Directioni Superiorum hujus Instituti ejusdem fini conformiter tradere placebit; si media fundationis non sufficiant pro integritatis exigentia, media communitatis (si ad manum fuerint) ea conditione authentico instrumento adjecta applicari poterunt, ut casu quo ejusdem Seminarii directio a Clericis Instituti non continuaretur, Supremus Instituti Præses bona illa, quæ Institutum de suis adjecit, libere alio transferre possit et valeat.

LI. In acceptandis Seminariis, traditio fini hujus Instituti non sit contraria; reliquæ conditiones fundatoris arbitrio manent subjectæ. Ut inhabiles excludantur, Adolescentum susceptio et eorum directio vel plene a Patronis Superioribus Instituti concedatur, vel saltem iisdem a Patronis jus et potestas fiat ipsis idonea subjecta nominandi, prævio accurato examine et probatione sufficiente, quatenus sic digniores à Patronis recipiantur, qui recepti in Instituto vivere tanquam vera ipsius membra postmodum obligati maneant.

LII. Quod si Ordinarii locorum annua ratiocinia a Directoribus Seminariorum petant, uti et, per se aut per alios visitando, do-

mesticam gubernationem juxta dispositionem Concilii Trid. sess. 23, de reform. cap. 18, inspicere voluerint, id constitutionibus a S. Sede Apostolica confirmatis conformiter fiat; ita tamen ut de redditibus Seminarii nihil alienare possint, et in alios usus convertere.

LIII. Superiores cujusque Seminarii, præter mensam, certum aliquod salarium habeant, si aliter de competente beneficio Ecclesiastico provisi non fuerint: cætera vero quæ ex communi massa per annum restabunt, in iisdem Seminariis pro futuris eventibus ac necessitatibus asservabuntur; quod intelligitur si modo continua talis Seminarii administratio hujus Instituti Clericis relinquatur; cœteroqui enim talia dispositioni Superiorum hujus Instituti reservabuntur, quorum proinde calculus eisdem, quoties visum fuerit, per modum ratiocinii exhibendus erit.

LIV. In casu dimissionis alicujus e Seminario, si restitutio sumptuum facienda sit, fiet Patronis, in Seminariis Patronorum, in quibus certa tantum portio pro sustentatione adolescentum per annum assignatur; in aliis vero Seminariis, in quibus bona fundationis ad Institutum spectant, talia ad massam communem illius Seminarii tradantur, ut alii Juvenes exinde sustententur. Ratiocinia in præsentia Patronorum Ordinariis exhibenda, juxta constitutionem 52.

Ubinam Seminaria esse debeant, et cujus nationis adolescentes in iisdem sint educandi.

LV. Ordinarie in quavis ampliore Diœcesi, ac a potiori in quavis Archidiœcesi unum Seminarium, et (quantum fieri potest) juxta eas Academias et Universitates habeatur, vel erigatur, ubi studia et disciplina abundantius florebunt, ita tamen ut Seminaria ultra necessitatem non multiplicentur; quod si in tali districtu nulla Universitas esset, in qua scholæ majores ab iis doceantur qui docere solent, tum Sacerdotes hujus Instituti in tali casu tam sacras, quam profanas litteras docebunt.

LVI. Cum Sacerdotes et Clerici hujus Instituti sub Jurisdictione Ordinariorum, tanquam veri et simpliciter proprieque dicti Clerici, parati sint in toto terrarum Orbe curam animarum administrare; mediantibus mediis temporalibus ab Ordinariis locorum, vel aliunde pro formandis Seminariis deputatis et collatis, (ad quod præstandum dictos Clericos sumptibus suis impares esse per se constat) ii, pro bona instructione juventutis, ad Seminaria ordinarie adolescentes propriæ patriæ assumantur, qui sint ad omnem laborem impigri, ac patrio solo assueti, ut sub hac ipsa disciplina usque ad mortem subsistant.

LVII. Cum solida et stabilis disciplina, pro bonis Clericis et curatis formandis, in domo in qua diversæ conditionis, status, ordinis et vocationis adolescentes commorantur, servari non possit, ideo ad Seminaria hujus Instituti propria, vel Ordinariorum, presbyteris hujus Instituti concredita, nullus suscipiatur qui in hoc Instituto non velit, vel actu vivere, vel animum saltem sic vivendi habeat. Quod si tamen ex gravissima causa convictores quidam alii suscipiendi forent, iidem expressa hac conditione, et non aliter suscipiantur, ut in Seminario disciplinæ domesticæ per omnia et in omnibus absque ulla prorsus exemptione se accommodent.

LVIII. Non obstante quod adolescentes ad Seminaria suscipiendi ordinarie, (nisi excellentia talentorum, ac circumstantiæ graves contrarium suadeant), ejus nationis esse debeant, in quo loco suscipiuntur; inter adolescentes tamen sub studiis transplantatio, quoad diversas nationes, sic fieri poterit, ut, finitis studiis, ad Seminaria in Terris propiis revertantur. Excipiuntur quoque Seminaria fundata ea intentione, ut sic educati ad quasvis mundi partes, vel ad loca hæretica mittantur cum Ordinariorum consensu, si ea in eorumdem Diœcesibus sunt, vel ad alia loca cum S. Sedis Apostolicæ licentia : ad hæc enim juvenes diversæ nationis insignes, præsertim qui sub disciplina hujus Instituti alibi in Seminariis jam vixerunt, suscipi possunt.

Quis curam Seminariorum habeat, et quinam singulis sint præficiendi.

LIX. Si Seminarium amplioris Diœcesis sit, a cœteris Diœcesibus unius Archiepiscopatus independens, principalem curam ejusdem habebit Præses Diœcesanus (1): si vero pro tota Archidiœcesi, inserviat (in qua etiam, quoad domum Emeritorum (2) et bona communitatis, mutuus sit usus), Præses Archidiœcesanus ejusdem curam habebit, singulis annis bis visitando, diligenterque illius politiam domesticam, tam in spiritualibus quam in temporalibus inspiciendo, et cuncta ad debitam formam reducendo, aut in ea conservando: mediorum quoque temporalium et emolumentorum incrementum, mediante œconomo sibi adjuncto, rationem habebit : in Seminariis propriis directores, aliosque magistros tam virtutum quam studiorum præficiet, et pro rei utilitate aut necessitate amovebit; in Seminariis vero Episcopalibus huic Instituto ab Ordinariis concreditis, personas capaces Reverendissimis DD. Ordinariis nominabit, ut ab iisdem authoritate ordinaria Seminariis præficiantur.

LX. In quovis Seminario erit primo Director, sive Regens totius Seminarii, qui prudentia, gravitate, doctrina, et sollicitudine charitatis inter alios emineat; secundo Pater Spiritualis, pariter pietate, et doctrina, et cœteris qualitatibus insignis, qui exercitationibus consuetis præsit; tertio confessarius, qui toti domui ordinarie a confessionibus assistat, cum facultate confitendi alii vel aliis Confessariis extraordinariis per Superiores deputatis, et approbatis ab ordinariis ; quarto œconomus, qui dependenter a directore, rerum temporalium curam habeat.

(1) Præses Diœcesanus, vel Archidiœcesanus dicitur ille Instituti Superior qui ipsi Instituto in aliqua Diœcesi, vel Archidiœcesi præest.

(2) Domus emeritorum ea est in qua sacerdotes Instituti, propter senium vel infirmitates aut alias rationes, in secessu vivunt.

LXI. Promotiones ad diversos gradus in Theologia et Jure non prius fiant, donec constet quod taliter promovendi perfecte juxta normam hujus Instituti in pietate, subjectione et fervore sint victuri, et insuper capaces pro gerendo tali officio ad quod gradus ejusmodi sunt necessarii.

Juramentum omnibus qui huic Instituto adscribuntur Commune.

LXII. Omnes et singuli in quibuscunque Seminariis educati, finitis studiis, suscepto Sacerdotio, uti et illi qui in majoribus Ordinibus constituti ad hoc Institutum fuerint suscepti, prævia debita informatione in domo Emeritorum vel alibi facta, Juramentum ad manus superiorum hujus Instituti præstabunt ; a quo juramento sic præstito, (per quod pactum inter membra hujus Instituti ultimato roboratur), nemo ex post facto, nisi a solo Summo Pontifice absolvi potest, cui desuper, prævio maturo causarum et circumstantiarum examine, Supremus hujus Instituti Præses per se vel alium debitam relationem faciet. Formula autem Juramenti sequens est :

LXIII. Ego N. Filius N. Diœcesis N. plenam habens Instituti Clericorum sæcularium in commune viventium notitiam, legibus et constitutionibus ipsius me sponte subjicio, easque quantum in me erit observare promitto. Insuper tibi N. N. hujus Instituti Præsidi Supremo, tuisque in hoc munere legitimis successoribus spondeo et juro me sub directione tua privata et œconomica, salva per omnia Reverendissimi Domini Ordinarii mei authoritate et jurisdictione, in supradicto Instituto Clericorum, qui secluso fœminarum consortio bini, vel plures pro locorum qualitate cohabitant, et bona sua ex beneficiis et functionibus Ecclesiasticis provenientia in communes pios usus juxta Constitutionem 19. Sacerdotum conferunt, semper victurum et moriturum. Denique spondeo, et juro me prædictum Juramentum, ejusque obligatio-

nem intelligere, et observaturum, a quo non possim nisi a solo Summo Pontifice absolvi. Sub die N. mensis N. Anno N. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

LXIV. Prædictis non obstat quo minus quispiam, post Juramentum prædictum, majoris perfectionis gratia, ad Ordinem Religiorum transire possit; ita tamen, ut non omni spiritui credatur, sed prius bene probetur, et non tam proprio Judicio, quam Superiorum hujus Instituti vere Dei vocatio esse approbetur : tenebitur tamen talis, (si ex novitiatu iterum discesserit), vi hujus Juramenti ad hoc Institutum redire.

LXV. Qui, præstito sæpe dicto Juramento, ad dignitates Ecclesiasticas Episcopales, et ad quascunque his similes promoti fuerint, etsi sub actuali directione Præsidis, ob respectum status, non sint, tenebuntur nihilominus præstare ea ad quæ cœteri hujus Instituti communiter obligantur.

Quomodo Sacerdotes noviter ordinati ad curam animarum applicari debeant.

LXVI. Clerici recenter ordinati ad curam animarum ordinarie non statim exponantur, sed prius in Domibus Sacerdotum Beneficiatorum et Parochorum, ubi strictior custodia et disciplina viget, pro tempore vivant, et cum præscitu et consensu Reverendissimi D. Ordinarii provisorio modo officia administrent, ut sic non solum disciplinam Clericalem magis imbibant, et in superioritate libertatis suæ pie, sobrie, casteque vivere, etiam extra talem custodiam postmodum expositi, addiscant; verum etiam ritus et ceremonias Ecclesiasticas, circa curam animarum, cum debita dexteritate et experimentali praxi solide comprehendant; et tunc demum utiliter ac secure commodis occasionibus ad Capellanias, Parochias, aliaque officia Pastoralia cum consensu Ordinariorum exponi poterunt.

PARS SECUNDA.

PRO DIRECTIONE SPIRITUALI ET TEMPORALI PRESBYTERORUM ET CLERICORUM HUJUS INSTITUTI, QUI ACTUALITER IN CURA ANIMARUM, BENEFICIIS ECCLESIASTICIS, ALIISQUE OFFICIIS QUIBUSCUMQUE EXISTUNT.

De Vigilantia Superiorum, ut exercitia quotidiana tam pietatis, quam studiorum et alia rite ubique observentur.

I. Quilibet Superior particularis qui unius domus Clericos dirigendos habet, invigilet ut decursus totius diei cum debita distributione temporis ab omnibus sedulo observetur; atque imprimis ut preces, tam matutinæ quam meridianæ et nocturnæ, cum debita pietate ab omnibus simul in loco ad orandum deputato persolvantur; similiter ut horæ Canonicæ ab omnibus alicubi cohabitantibus et legitime non impeditis, determinatis ad id horis, simul recitentur.

II. Statutis quoque horis cuique loco accommodatis, sacrificium Missæ celebretur ; ita ut reliquum tempus, cum certa pariter distributione, pro studio tam Scripturæ Sacræ quam theologiæ, præsertim Moralis, lectionis asceticæ et similium relinquatur ; in quantum cura pastoralis, visitatio infirmorum, administratio sacramentorum, et actualis præparatio ad conciones ac catecheses necessaria id patitur, quæ, dum actu instant, cœteris præponenda sunt.

III. Superioris quoque cujusque loci est ordinare quidnam præter Scripturam Sacram quovis tempore ad prandium et cœnam, per mediam circiter horam, utiliter legi possit, ex quo utiles deinde discursus formari debent. Recreatio post Mensam ea

semper esse debet, quæ honestatem et modestiam cum pace perpetuo sibi conjunctas habeat, ad quod pariter Superiori invigilandum erit.

IV. Generalem ordinationem prædictorum omnium Superiores tempore visitationis facient, juxta quam postmodum quilibet particularis Superior directionem suam practice instituat.

V. Quilibet Superior alicujus decanalis, vel in vicinia districtus, singulis sibi commissis Clericis et Sacerdotibus annuum determinabit tempus, quo opportune recollectioni mentis, in sua, vel alia ad hoc deputanda domo, insistant; seduloque curabit ut apud omnes debitum dicta recollectio sortiatur effectum : ad quam, etiam extra hoc præscriptum, illos disponet, quorum spiritualis infirmitas aliæque causæ rationabiles id prudenter postulaverint.

VI. Ejusdem Superioris domus, in quovis districtu, refugii et medicinæ spiritualis locus existet, ut spiritualem convalescentiam ibi percipiant illi qui in Parochiis aliquod vulnus spirituale acceperunt, vel periculum passi sunt; quibus alii ad tempus et tamdiu succedent, usquedum eorum infirmitas per media spiritualia correcta fuerit : quod etiam de illis observandum qui in spiritus desolatione versantur, aut in melancholiam, vel aliam afflictionem lapsi sunt, ut remediis spiritualibus adjuti, fortiores ad stationis suæ vigilias regrediantur.

VII. Idem Superior alicujus decanalis districtus aliquoties in anno tot Clericos et Sacerdotes huic Instituto addictos, ac privatæ suæ directioni assignatos, in certum locum convocabit, et ad certum diem, qui sine detrimento animarum curæ commode comparere poterunt, ad assignatas materias in scriptis thesibus proponendas, ac more scholastico a constitutis ad id per vices oppugnandas ac defendendas, ut singulorum ingenium, ac diligentia palam exinde fiat. Materiam circa quam hæc exercitatio

utiliter institui poterit, suppeditabunt Scriptura Sacra, casus conscientiæ, Theologia speculativa et polemica, seu controversistica, ac jus Canonicum. Directorium totius negotii penes prædictum ejusmodi districtus Superiorem erit.

VIII. Præses hujus exercitationis a Superiore constituetur aliquis ex eodem districtu qui in prædictis facultatibus præ reliquis eminere, atque ad hoc officium habilis esse videbitur.

IX. Ad meliorem hujus rei successum, in singulis Parochiis assignatas materias, certis per hebdomadam diebus, per unam, vel sesquihoram, mutatis vicibus defendendo et oppugnando sic elucident, ut deinde in publica concertatione cum honore et aliorum ædificatione defendens stare possit.

X. Tempus ad privatum hoc exercitium magis commodum, per se loquendo, erit post meridiem; ita quidem ut prima media hora in recollectione et præparatione, reliquum vero tempus in ipsa exercitatione et colloquio insumatur.

XI. Domi particulares casus discutiendi caute junioribus Sacerdotibus proponantur, ex quorum resolutione addiscant, quomodo sua principia scholastica ad particularia applicare, et prudenter practicare debeant.

XII. Ut quilibet districtus decanalis a corruptione defectuum, qui paulatim, nisi vigiletur, succrescunt, mature semper expurgetur, observandum erit ut non tantum singulis octiduis, certo determinato die, in quovis loco particulari, colloquium aliquod Constitutioni 45 Sacerdotum conformiter instituatur; verum etiam ut singulis mensibus, finito supradicto scholastico studiorum exercitio, prius quam qui præsentes erunt domum repetant, in domo decanali simili modo quoddam colloquium ac conferentia spiritualis pro toto districtu decanali instituatur, eaque in medium proferantur, quæ ad conservationem bonæ disciplinæ, et perfec-

tionis incrementum in Domino videbuntur. Parochi et Beneficiati alii, ex dicto colloquio domum reversi, fideliter ea executioni demandare satagant, quæ in particulari ipsos attingunt.

QUID SUPERIORIBUS CIRCA SUBSTANTIALIA HUJUS INSTITUTI PUNCTA SIT SCIENDUM ET OBSERVANDUM.

XIII. Ut substantialia hujus Instituti puncta, quæ sunt communitas bonorum, cohabitatio fraterna, separatio mulierum, et obedientia erga Superiores præsentis clericalis Instituti, omnibus sufficienter innotescant, Superiores eorumdem practicam notitiam, perfecto quodam modo habere oportet, ut omnes circa eadem, tam per se quam per alias personas idoneas, recte informare sciant, eaque notitia præhabita, ad eorumdem observantiam sedulo inducant. Prædicta substantialia puncta nec Præses Generalis, nec Conventus qualiscumque ullo unquam tempore immutare aut relaxare poterit, cum sint veluti cardines ac fundamenta per quæ, veluti per quosdam vectes in se sufficienter munitos, præsens Institutum absque dissolutione in generatione et generationem per Dei gratiam subsistat.

XIV. Ut vero prædicta hujus Instituti puncta substantialia tanto certius inconcussa semper maneant, omnes et singuli dicto Instituto sese aggregare volentes illa juramento firmabunt, ea jurandi formula quæ habetur supra in Constitutionibus de directione juventutis num. 63; vi cujus omnes et singuli obligantur, non quidem ad particulares dictorum punctorum actus, ita ut quoties aliquis quidpiam contra illa, vel illorum aliquod admiserit, perjurus fieri censendus sit, sed solum ad constanter in hoc Instituto; in quo prædicta quatuor puncta observanda sunt, usque ad mortem perseverandum; ita ut juxta Constitutionem 46. Sacerdotum, ille solus perjurus fieri censeri debeat, qui proprio motu se ab hujus Clericalis vitæ et disciplinæ statu separaverit.

XV. Censentur autem motu proprio se ab Instituto separare, qui sine legitima juramenti sui facta relaxatione discedunt, aut verbis factisque in Instituto deinceps vivere detrectant ; uti etiam qui per frequentatos actus graviter contra supradicta substantialia excedunt, et prævia trina monitione, præfixo à supremo hujus Instituti Præside termino peremptorio, quod, nisi monitioni pareant, ab Instituto separandi sint, sic in contumacia perseverant; tales enim se ipsos suo facto ob incorrigibilitatem separare censendi sunt. Licet hic casus ibi et tum solum accidere possit, quando alia ratio delinquentem ad meliorem frugem (beneficio Domus Emeritorum, vel alia via) reducendi, et scandalum tollendi, pro isto tempore Instituto non suppetierit.

De communitate bonorum in specie.

XVI. Finis Communitatis bonorum est ut à Clericis hujus Instituti omnia ex beneficiis Ecclesiasticis et functionibus quibuscumque provenientia, in usus pios Ecclesiæque Dei salutares, ac præfixo scopo hujus Instituti convenientes, debito modo et ordine conferantur et applicentur, eorumque bonorum abusus tollatur. Quare, seposita omni avaritiæ et prodigalitatis specie, singuli sedulo curabunt, ut huic Instituto Clericali vere fideles dispensatores se exhibeant, in omnibus sincere spectantes commune bonum tanquam proprium Jesu Christi Domini Nostri patrimonium.

XVII. Superiores mature considerare debent quidnam in dispensatione bonorum communium, jam in massa communi collectorum, potissimum sit observandum. Et primo quidem invigilare debent ut Sacerdotibus senibus, aliisque inhabilibus sufficienter provideatur. Deinde, si Sacerdotes Curatos et beneficiatos, casu aliquo extraordinario, subsidio egere contingat, ex bonis communibus illis succurrendum erit. Similiter quando aliquis ex hoc

Instituto, recenter ad Parochiam vel beneficium aliquod promotus, novam alicubi œconomiam instituere et rebus necessariis instruere debet, suppellectilia et alia maxime necessaria, vel pecunia pro iisdem comparandis suppeditanda erunt; ea tamen lege ut sive pecunia sic subministrata, sive pretium quo suppellectilia fuerint æstimata, medio vel infimo pretio ordinate conscribantur, traditaque desuper obligatione, successive, prout potuerit commode, Superioribus ex proventibus annuis restituantur, ut aliis quoque in simili necessitate constitutis succurri possit. Tertio subveniendum quoque est pauperibus Sacerdotum hujus Instituti parentibus, fratribus et sororibus, juxta Constitutionem 22. Sacerdotum.

XVIII. Post hos magis necessarios communium hujus Instituti bonorum usus, ingenuis adolescentibus ad hanc Clericalem vitam educandis applicanda erunt.

XIX. Postquam domibus juventutis et Emeritorum in quadam Archidiœcesi, vel Diæcesi, ex mediis communitatis vel patronorum sufficienter provisum fuerit, tunc ad ædes Parochiales convenienter ad præscriptum Instituti vivendi modum accommodandas, ubi necesse fuerit, vel ex mediis ipsorummet Parochorum, (præter id quod forte juxta morem Diœcesis in conservationem illarum annuatim ab illis impendi debet), vel ex collectis ipsiusmet communitatis mediis, si aliunde haberi nequeant, quantum necesse fuerit applicari poterit.

XX. Similiter ordinari poterit ut, si desint media pro cohabitatione duorum Clericorum, in loco quodam particulari, ob curam animarum aut alia de causa, ordinanda, superiores hujus Instituti tamdiu media necessaria pro altero Sacerdote subministrent, quamdiu hujus Instituti Sacerdotes in tali loco Curæ animarum præfuerint; Et quia aliorum est similibus Sacerdotibus Curam animarum gerentibus vivendi media subministrare, ideo speciatim et authentice cavendum ne ex hac gratuita alimentorum subminis-

tratione, pro quocunque futuro tempore, Instituto quædam obligatio imponatur.

XXI. Eleemosinæ pro varietate, vel religiosis, vel aliis faciendæ, ex mediis huic Communitati obligatis, à Clericis beneficiatis, juxta leges Christianæ Charitatis et juxta dictamen prudentiæ fieri possunt; specialiter tamen suadetur ut Parochianis suis indigentibus, pro ratione redituum suorum, præ aliis benigne subvenire studeant.

XXII. Bona Communitatis, in una Archidiœcesi correspondente quoad domum Emeritorum et juventutis cum quibusdam Diœcesibus ejusdem Archidiœcesis, uti etiam media Diœcesis populosæ quæ propriam Domum Emeritorum et juventutis habet, in eadem applicari debent; nec possunt, per se loquendo, etiam pro parte aliqua transferri. In casu extraordinario, ubi ob gravem necessitatem Christiana Charitas suadet ut aliis membris hujus Instituti ad bonum Ecclesiæ Catholicæ succurratur, ordinatio desuper fiet a Præside Diœcesis cum Consilio Superiorum decanalium ex una, et ex altera parte à Præside Supremo; quod si rei gravitas postulaverit, Reverendissimo quoque Domino Ordinario loci desuper referendum erit, ut cum ejusdem præscitu et consensu, ad evitandas quascumque suspiciones, res tota peragatur.

XXIII. Ubi communes sumptus faciendi sunt in negotiis totum Institutum concernentibus, supremi Præsidis erit proportionaliter ex collectis mediis particularium Diœcesium illud exigere, quod ad ejusmodi negotia pertractanda necessarium fuerit.

XXIV. Communitas bonorum mutuam infert obligationem singulorum membrorum ad Institutum, et Instituti ad membra; ita ut singuli ad omnia bona sua ex beneficiis Ecclesiasticis et functionibus ac officiis quibuscumque provenientia in pios Communitatis usus conferenda, vi conventionis mutuæ pactique ultro

citroque obligatorii ac stricti, et ipsi quoque superiores, nomine Instituti, singulis membris fideliter in necessitate subvenire teneantur.

XXV. Si quis Sacerdos vel Clericus, animo sese Instituto aggregandi, aliquandiu cum ejusdem Instituti Clericis habitaverit, dein vero, antequam consuetum Juramentum præstet, mutata mente recedat, præter sumptus ipsius causa factos nihil persolvere teneatur : si vero post præstitum Juramentum ad ordinem religiosum transire voluerit, vel proprio motu se ab Instituto separaverit, vel ab eodem ob incorrigibilem morum pravitatem, aliamve quamcumque causam dimissus fuerit, ex illis quæ in Instituto acquisivit, et jam tum vel ad capsam communem contulit, vel apud ipsum adhuc existunt, de jure nihil prætendere vel secum auferre potest; contrarium si fecerit sine præhabito superiorum Instituti consensu, id restituere tenebitur.

XXVI. Si qui, Sacerdotes aut alii Clerici jam existentes, bona quædam ex beneficio, officio, vel functionibus Ecclesiasticis acquisita jam habeant, ac postmodum ad Institutum suscipi petant, libere de iis quæ extra Institutum acquisiverunt disponere possunt, vel in usitatos hujus Instituti, vel in alios licitos et honestos usus; nisi, ob imminentem, ex senectute aut alio capite, ad officia et functiones Ecclesiasticas inhabilitatem, æquitatis ratio postulare videatur ut Instituto consignentur, cui per susceptionem talis personæ onus eam honeste sustentandi accrescere dignoscitur.

XXVII. Omnes vero et singuli qui per Juramentum se huic Instituto obligarunt, de bonis suis, sive Ecclesiasticis extra Institutum acquisitis, sive patrimonialibus, de quibus libere disponere habent, mature ita disponant, ut casu quo dominium eorum penes se retinere voluerint, totam vel potiorem saltem eorum curam aliis committant, cum nec Instituto ejusque disciplinæ, nec ipsismet Sacerdotibus in Officiis et functionibus Ecclesiasticis

occupatis conveniat multum ejusmodi rerum curis occupari, quæ à suscepto vitæ statu valde sunt alienæ.

XXVIII. In quovis loco particulari ratiocinia acceptorum et expensorum ab uno Œconomo fiant, qui, juxta diversas rubricas cujuscumque personæ in eadem domo habitantis, redditus ex beneficiis et salariis distincte annotet, ne aliqua confusio sequatur. In Seminariis aliisque domibus, ubi communes redditus pro illa domo sunt ad nullam personam particularem spectantes, et simul alii reditus sunt ad particulares personas in illa domo ex beneficiis vel officiis obvenientes, tum, ne confusio oriatur, fieri debet commune ratiocinium, et aliud particulare super accepta et expensa redituum particularium istarum personarum.

XXIX. Cum non solum Instituti hujus intersit, sed etiam Diœcesium, ne bona communia minus fideliter administrentur, aut ad supradictos Ecclesiæ Dei utiles usus non expendantur, ideo Reverendissimi DD. Ordinarii, quoties defectus notabilis in administratione à Pæside commissus innotuerit, desuper liberam inquirendi et rationes super bonis Instituti in commune collatis exigendi, defectusque, interposita auctoritate sua Ordinaria, corrigendi potestatem habeant; defectus vero à Superioribus Præsidi subordinatis commissi, à Præside corrigantur, salva tamen, ut in præmissis, Ordinariorum Jurisdictione, ut, hac ratione, per debitam eorum administrationem ac dispensationem, fiat quod, juxta approbatam hujus Instituti Constitutionem, fieri solet ac debet.

XXX. De reliquo, cum singuli hujus Instituti Clerici, intuitu beneficiorum suorum, Reverendissimis Dominis Ordinariis ea præstare debeant, ac reipsa præstent, quæ alii Clerici extra Institutum viventes, juxta cujusque Diœcesis consuetudinem, intuitu eorumdem beneficiorum, præstare debent, bona ab iisdem in commune ad massam communem jam collata alio insuper onere seu exactione gravanda non sunt; cum æquitatis ratio non permittat ut, ob hoc quod superflua sua in communes pios, et tum statui

Ecclesiastico, tum ipsimet Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ valde pro-
ficuos usus conferant, amplius quam alii Clerici Sæculares gra-
ventur. Cum enim eorum onera ac obligationes, quoad redditus
beneficiorum suorum, communiter cum illis sine ulla exemptione
ferant, merito iisdem etiam juribus, privilegiis, atque immunita-
tibus cum illis gaudent. Hinc et particularis dispositio circa tem-
poralia hujus Instituti bona ad Capsam jam collata, eorumque dis-
pensatio in usus præscriptos, ad ejusdem Instituti superiores spectat.

XXXI. Vi Communitatis bonorum, sive pacti Jurati, nemini
liceat ex hujus Instituti Sacerdotibus et Clericis testamentum Sæ-
culare condere, aut parentibus, aut consanguineis suis bona sua
temporalia, ex beneficiis et functionibus Ecclesiasticis ac officiis
quibuscumque provenientia, per quamcumque voluntatem
ultimam relinquere. Ideo omnes et singuli, quibuscumque digni-
tatibus Ecclesiasticis non obstantibus, obligantur ut quocunque
de rebus suis disponendi modo Clericis concesso et consueto,
bona sua prædicta superioribus hujus Instituti, ad fundandas
domus educandæ Juventutis et Emeritorum Sacerdotum, aliosque
fines huic Clericali Instituto conformes, dispensanda relinquant,
memores omnia quæ possederunt esse propria Domini Nostri
Jesu Christi, in cujus infinitam gloriam, profectumque animarum
hoc Institutum omni tempore ea impensurum sit; nihilque æquius
esse quam illorum etiam commoda sentire, quorum onera in vita
et morte suscipiuntur.

XXXII. Donationes Ecclesiæ cui quis deserviit, vel parentibus
fratribus et sororibus indigentibus fieri possunt; ea tamen fieri
debent cum præscitu et consensu Præsidis alicujus Diœcesis, vel
Territorii, vel ita ut juxta ratihabitionem ejusdem valere debeant;
superioribus vero ejusmodi denegare vel immutare non licebit,
nisi manifeste videant, adhibito consilio aliorum, aut habita etiam
in re gravi sententia Reverendissimi Domini Ordinarii, quod irra-
tionabiliter ea facta sint.

XXXIII. Legata et donationes quæ ipsismet membris hujus Instituti ab aliis fiunt, intuitu Officii vel cujuscumque respectus ad statum Clericalem aut quodcumque officium, spectant ad bona huic communitati obligata ; quæ vero dantur intuitu consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ mere naturalis, bonis patromonialibus annumerantur. In casu dubio donationis factæ, standum juri communi ; hac tamen lege ut, si à consanguineis et affinibus usque ad quartum gradum inclusive donationes fiant, eæ censeantur factæ personis ; in cœteris vero casibus dubiis, censeantur factæ intuitu Instituti sive Officii.

XXXIV. Debita passiva in vita aut post mortem alicujus ex Instituto, solventur ex mediis ab eodem relictis ; ubi vero ea non suffecerint, communitas ad satisfaciendum eisdem obligata non erit, nisi cum expresso consensu Superiorum Instituti et authentica ex scriptura eadem facta esse comprobentur : idque ideo quia cæteroquin gravia incommoda huic Instituto accrescerent, et ipsum Institutum, quod curam talis personæ in vita et morte in se suscipit, non tantum commodum pro membris suis non sentiret, verum etiam grave damnum pateretur.

XXXV. Quando, post Parochi vel Beneficiati discessum vel mortem, ex gratiosa Reverendissimi Domini Ordinarii vel Patroni concessione successor ex hoc Instituto fuerit, mobilia quæ successori ad ducendam Œconomiam necessaria sunt, non distrahentur, cum antecessor, si hujus Instituti fuerit, sine detrimento nunquam vendat, successor vero maxima cum incommoditate et difficultate coemat, ac de novo familiæ de mobilibus prospiciat. Proinde à superioris ordinatione et prudentia, in tali casu, rerum temporalium dispositio aut translatio, quæ ex rationabili necessitate vel utilitate fieri subinde debere videbitur, dependebit : Ita tamen ut, pro iis quæ successori relinquuntur, honestum et moderate taxatum pretium, certo et præfixo termino, in casu

mutationis ab una ad aliam Parochiam sive beneficium, solvatur antecessori, in casu vero mortis Instituto.

XXXVI. Quid vero et quantum, ex annuis hujusmodi beneficii reditibus, tum antecessori, tum successori competat, pro illa parte temporis quo quisque illorum illud possidet, juxta Capitularia statuta, vel alias cujusque Diœcesis leges et consuetudines determinetur et ordinate annotetur, idque præsente ac confirmante eo cui de Jure vel consuetudine competit, et, si opus fuerit, præsente uno ad id ex Instituto deputato, ut omnis confusio evitetur et charitative singula disponantur.

Observanda de fraterna cohabitatione.

XXXVII. Cum hoc Institutum pro fine suo habeat in salutem Populi ita dispersim vivere, ut tamen quantum possibile fuerit, ubique duo, tres, vel plures ejusdem Instituti Clerici et Sacerdotes in eadem domo fraterne cohabitent, superiores diligenter invigilabunt ut, ex speciali favore Reverendissimorum DD. Ordinariorum ac Patronorum, liceat, etiam ruri, fraternam duorum vel plurium hujus Instituti Clericorum cohabitationem instituere ac continuare.

XXXVIII. In oppidis ubi subinde plura, partim curata, partim simplicia existunt beneficia, quorum possessores seorsim habitare consueverunt, Sacerdotes Instituti, ubi duo, vel plura ejusmodi beneficia obtinuerint, quantum fieri potest, fraterne cohabitare obligantur : in magnis tamen Civitatibus, nisi commode et sine periculo animarum curæ suæ commissarum possint, non uno loco omnes simul, sed in diversis bini vel plures cohabitent.

XXXIX. Quod si in pagis et oppidis Parochialis Ecclesia Capellanum (1) hactenus non habuerit, interim tamen reditus adsint

(1) *Vicarium* apud nos diceremus.

quibus duo Clerici congrue, ad onus pastorale subeundum, sustentari posse videntur, superiores, cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii, Parocho sacerdotem adjungent, non tam in subsidium animarum curæ, quam in subsidium continentiæ et disciplinæ securius servandæ.

XL. Porro, si Parochialis Ecclesia Capellanias seu filiales Ecclesias distantes sub se habuerit, Reverendissimi DD. Ordinarii locorum rogandi erunt quatenus permittant, ob bonum disciplinæ, Clericorum cohabitationes ita divisas ad unam socialem contrahere, dummodo per excursionem, citra neglectum animarum, humanitus prædicta loca provideri possint; in quo ex ordinatione ac Judicio Reverendissimorum DD. Ordinariorum determinatio fiet. Dictæ Ecclesiæ filiales vel Parochiæ à se invicem ultra horam non distent.

XLI. Cœterum hi Sacerdotes tam Divina Officia, quam conciones et catechesim, diligenter in Ecclesia propria peragant, non secus ac si in loco residerent; Parochianos de baptizandis et de providendis ægrotis provide admoneant; et semel saltem, præter festa et Dominicas, in septimana quisque ad Ecclesiam suam certo die ad sacrum celebrandum exeat, ut Parochiani id præscientes suis et suorum necessitatibus spiritualibus facile consulere possint: ad Sacramentorum administrationem evocati, in omni casu sine mora promptos se exibeant.

XLII. Casu quo tanta Ecclesiarum distantia foret quæ positam mensuram notabiliter excedat, atque ob defectum redditumm duo habitare nequeant, qui tunc solitarie exponendus erit sit solitudinis amans, et provectioris ætatis, ejusque constantia in castitate et sobrietate probe perspecta habeatur. Insuper singulis septimanis ad domum decanalem, vel Parochiam aliquam, ad Sacerdotes hujus Instituti pro facienda Sacramentali Confessione veniat, et superiori de vitæ suæ statu frequentius rationem reddat, acceptaque Spirituali exhortatione et consolatione novo

cum fervore domum revertatur; in eumdem finem, sæpius etiam talis à superiore Decanali vel Parocho quodam visitetur; pro administranda culina et familia famulum habeat, observeturque quod infra de separatione mulierum statutum habetur.

Quid respectu cohabitantium Clericorum observandum sit.

XLIII. In primis, omnes studeant se tales in conversatione suæ vitæ exhibere, ut suis affectibus ex sincero corde sic dominentur, quatenus cuivis cum animi jucunditate cohabitare sciant; firmiter etiam sibi persuadeant, in omni familia, quantumvis bene ordinata, imperfectiones ac deordinationes quandoque contingere; hinc apud se omnino statuant defectus aliorum in vera et Christiana patientia tolerare, ac ejusmodi, tam in temporalibus quam in spiritualibus, supportare.

XLIV. Superiores, in conjunctione Clericorum, prudenti circumspectione, ex notitia geniorum et indolis, attendant ut tales semper combinentur, ne vel contemptus, vel nimia familiaritas inde sequatur. Pro directione universim tales constituantur qui non modo passionibus suis sufficienter dominari posse noscantur, verum etiam illos qui ipsis subjiciuntur, in omni genere virtutum et scientiarum, quantum fieri potest, superent, vel saltem adæquent; contemptum enim parit, si qualititates subditi qualitatibus superioris præstent.

XLV. Ubi duo vel plures cohabitant, unus semper sit ex iis qui officio Œconomiæ, cum debito rerum temporalium emolumento, fungi sciat. Qui in rebus Spiritualibus videntur tepidiores sibique ipsis nimis indulgentes, simul non consocientur, sed adjungatur unus vel alter qui in spiritualibus ferventior, et in servanda disciplina exactior esse noscatur.

XLVI. Ubicunque hujus Instituti Sacerdotes simul habitant,

superioribus curandum est ut neque omnes senes sint, neque omnes juvenes; sed ita potius senes conjungantur junioribus, ut seniorum cautela juniorum libertatem custodiat, et juvenum fervor seniorum imbecillitatem in perferendis laboribus sublevet. Universim combinatio Sacerdotum ea circumspectione semper fiat, ut in quocumque unus vel alter deficere noscitur, tertius opposita qua eminet virtute defectum proximi sui, quoad fieri potest, corrigat atque emendet.

XLVII. Præterea non indignum quilibet arbitretur si in proximo suo custodem habeat, à quo charitative corrigatur et moneatur; idque tam quoad actiones quæ domi, quam quoad ea quæ foris peraguntur: quapropter semper conari debent ut duo simul, etiam foris, existant, qui sibi invicem sint tam conversationis quam innocentiæ testes ac monitores.

XLVIII. Hospitales ad invicem, et ad omnes charitativos cum omni humilitate se exibeant, et servitia necessaria omnibus præstari à suis curent; itineris enim molestiis defatigati, refrigerio hospitalitatis sublevari debent. Erga personas vero cujuscunque status, servata proportione, se taliter habeant ut ab omnibus bonum testimonium charitatis Christianæ reportare mereantur.

XLIX. Denique, ut qui in hoc Instituto vivunt in morte minime deserantur, singulorum locorum superiores disponent ut exequiæ Christiano modo statui Clericali conformiter peragantur, et in loco depositionis, præmissa semper Vigilia defunctorum, tam primus, quam septimus et trigesimus pro defunctis celebrentur. Insuper omnes Sacerdotes hujus Instituti, juxta Constitutionem Sacerdotum 28. pro salute animæ ejusdem tria sacra celebrabunt, qui in illa Diœcesi existunt; ita tamen ut, in cæteris Diœcesibus quæ uni alicui Archidiœcesi, more in Ecclesia consueto, subjiciuntur, unusquisque si non tribus, saltem uno sacro animam defuncti divinæ misericordiæ commendet.

Quid superiores in puncto separationis mulierum observandum habeant.

L. Eam Mulierum separationem Clerici omnes communiter observare tenentur, in conscientia ad hoc adstricti, quæ requiritur et sufficit ad vitandum scandalum, et ad proximam occasionem peccandi tollendam. Ad tollendam vero omnem Clericorum cum Mulieribus cohabitationem, in Cap. *Inhibendum.* Extra. *De cohabit. Clericorum et Mulierum,* ita statuitur : « Inhibendum est ut nullus Sacerdos fœminas de quibus suspicio potest esse retineat; sed neque illas quas SS. Canones concedunt, matrem amytam, sororem, quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum reperitur. » Unde præsens Institutum eo collimat, ut Clerici in eodem viventes, in instituendis hinc inde familiis, Timorem Dei custodem, Castitatem dominam, Amorem vero rectorem totius Domus suæ habeant.

LI. Proinde nemini licebit ex sexu muliebri, sive Matrem, sive Sororem, sive aliam in quocumque gradu consanguineam, aut aliam quantumvis piam et sanctam mulierem, sub eodem tecto quo Clerici duo vel plures congregati habitant, habere; cum sit vel periculosum, vel scandalosum, aut saltem non deceat, aliaque viro Clerico inde incommoda emergant.

LII. Si quo casu substantialis hæc Constitutio, per se loquendo inviolabiliter servanda, in praxi et casu particulari nulla ratione observari posse videretur, eo quod familia de novo incipienda sit, in qua, ob prædia rustica vel aliam ob causam similem, pecora sint alenda, et in continenti fieri non possit pro habitatione diurna nocturnaque distincta sufficiens separatio, ea quam primum separatio ordinetur, sive ex favore Reverendissimi Domini Ordinarii, sive ex mediis ipsiusmet Communitatis.

LIII. Media porro quibus generalis ista Constitutio inoffenso pede in familia Clericorum constanter decurrère possit, erunt sequentia :

In locis in quibus Prædia rustica annexa esse non solent, culina et tota familia virorum sive famulorum opera instituatur, qui omnia ministeria domus præstent : In locis vero sive Parochiis quibus Prædia rustica annexa esse consueverunt, quorum ratione et inevitabili quadam necessitate similem culinam et familiam, propter emolumentum fructusque agrorum et decimarum, cum mulieribus institui necessarium est, mulierum servitia tolerabuntur, ut sic non solum culinæ, verum etiam toti reliquæ familiæ melius prospiciatur.

LIV. In dictis vero servitiis, Sacerdotum parentes et consanguineæ, quantum fieri poterit, constituantur : quibus deficientibus, aliæ honestæ provectiorisque ætatis personæ assumantur ; ita tamen ut à Clericorum tam diurnis quam nocturnis habitationibus, intercedente sufficiente clausura, sejungantur; quod proinde superiores hujus Instituti constantissime æmulabuntur.

LV. In hunc finem Parochialibus ædibus domus rusticæ in loco quodam vicino annectantur, vel pars in ipsa Sacerdotali, si amplitudo id patiatur, per murum interjectum separetur, in quibus Matres familias degentes subordinatum quoddam super totam familiam rusticam regimen habebunt : Parochus vero hanc inferiorem directionem culinæ et totius familiæ in prædictam Matrem familias immediate rejiciat, ut ita Clerici, negotiis inferioribus sepositis, à Mulieribus penitus separati, in vitæ sanctitate Deo servire, et saluti animarum liberius invigilare valeant.

LVI. Porro, ut prædicta separatio commodius observari queat, et ne, ejus occasione, aut Parochus necessariam inspectionem in familiam negligat, aut in cibis aliisque requisitis pro Clericis ad domum Sacerdotalem deferendis difficultas aut incommoditas sit, inter utrasque ædes aditus ac porticus intercedat, quo ita

domus et familia rustica ædibus Parochialibus annexa et approximata accommodetur, ut ex eadem cibi inde ad Clericalem mensam commode deferri, et inspectio necessaria haberi possit. Aditus ergo in inferiori vel media contignatione ædium Sacerdotalium usque ad Domum rusticam traductus et patens, in fine clausuram habebit, cujus beneficio prædicta separatio fiat; ita ut nemo Clericorum per illum aditum ex ædibus Sacerdotalibus ad domum rusticam, neque ex familia et domo rustica ad domum Clericorum unquam transire valeat.

LVII. Ut major cautela adhibeatur, quantum locorum constitutio patitur, domus Clericorum contra omnem accessum (vel januas non necessarias obstruendo, vel muro circumvallando) ita muniatur, ut relicta solummodo unica ad Clericalem domum janua ordinaria, omnis utriusque familiæ domesticorum ad invicem accessus perpetuo discludatur; cujus rei melior accommodatio, pro locorum constitutione, Superiorum discretioni relinquitur. Denique fenestræ cubiculorum et totius domus Sacerdotalis bene ferreis clathris obseratæ et munitæ sint; noctu, occlusis diligenter foribus, claves ad superiorem deportentur, ita ut neque intrandi, neque exeundi ulla occasio ac suspicio esse possit. Et sic tota Domus in timore Dei, et apud prudentes in bona æstimatione stabit.

LVIII. Pariter Domus Clericorum, (etiam ubi familia rustica non est), ubique, tam in parochiis quam in loco decanali et alibi, sic accommodetur, ut Sacerdotes et Clerici omnes cum superiore Domus in congressu communi habitare possint; domus universim seris tectis muniantur, et cautelæ supradictæ ubique adhibeantur.

LIX. Parochus vel Beneficiatus (assumpto socio Sacerdote, vel, hoc deficiente, alio innocentiæ suæ teste), ad minimum semel in septimana visitet domum familiæ rusticæ (quod in aliis quoque Œconomiis universim observandum), videatque num ea quæ in domo sub cura retinentur, illæsa conserventur, et bene expen-

dantur, atque advertens aliquid non ut oportet conservari aut expendi, sic corrigat, ut imposterum recte et solide omnia fiant : negotiis cum debita gravitate, imperio et modestia expeditis, ad Sacerdotalem domum revertetur.

LX. Quod si cum fœmina, ratione pastoralis officii vel alia rationabili causa necessario loquendum fuerit, in domum Clericalem non intromittatur, et quæ, consilii, necessitatis, et salutis animarum gratia, loqui oportuerit, Clerici paucis, cum gravitate et modestia, in loco patenti absolvant. De cœtero superiores consortia mulierum absque dispensatione strictissime præscindant, omni etiam pio prætextu excluso, mulierumque visitationes, extra casum gravioris ægritudinis, nulli unquam permittant.

LXI. Ut ministerium, quoad eos famulos qui ad dies vitæ in hoc Instituto servire volunt, felicius succedat, superiores providebunt ut ad hujusmodi munus Juvenes morigeri suscipiantur, qui mature à mundo abstracti, in culinæ ministerio, aliisque operibus domesticis, probe aliquot annis instruantur. Hosce famulos pietate pollentes Institutum ad dies vitæ sanos et infirmos, senes et vegetos retinebit, omnia necessaria ipsis subministrando, et ex debito obligationis amanter substentabit. Iisdem nihilominus certa merces annua constituetur, ut quod ultra vestitum et alia necessaria exinde restat, pro eorumdem in senio vel alia necessitate sustentione, à superioribus expendatur, priusquam ad communia Instituti bona pro sublevandis eorum necessitatibus recurratur. Casu vero quo in necessitatem talem non inciderint, id quod ex ejusmodi famulorum mercede restat, pœnes Institutum manebit, pro aliis similibus occasionibus expendendum.

LXII. Invigilabunt quoque superiores ut etiam cœteri famuli, qui ad tempus tantum inserviunt, sint fideles et experti, quatenus hac ratione debitum servitium omnibus præstetur, ac necessitati singulorum sufficienter prospiciatur. Ad omne periculum, tam

in spiritualibus quam temporalibus, excludendum, parochi cœterique beneficiati et Clerici quicumque, circa susceptionem et dimissionem domesticorum, superioribus ad nutum obtemperabunt.

DE SUPERIORITATE DIRECTIVA, EJUSQUE NECESSITATE, AC PRINCIPIIS PRACTICIS UT HOC INSTITUTUM PERPETUO IN CLERO CONSERVETUR.

LXIII. Ut hoc Institutum feliciter subsistat, debitam inter membra, respectu superiorum et inferiorum, subordinationem requirit. Unde præter publicam Reverendissimis DD. Ordinariis præstandam obedientiam, quædam directiva morum Superioritas, ad disciplinæ vigorem in Clero servandum, statuitur, per quam singulorum qui de hoc Instituto sunt vita in via charitatis immediate inspiciatur; et sic Clerici cum suo legitimo capite, quod sunt Summus Pontifex et Reverendissimi D. Ordinarii, perfectius quam unquam coadunentur.

LXIV. Porro hæc superiorum ejusdem Instituti directio, privata solummodo et Œconomica, eo potissimum spectat, ut à Clericis eidem addictis omnia et singula, tam in spiritualibus quam temporalibus, juxta ejusdem Constitutiones fiant; qui contra eas deliquerint, paterne moneantur; quin et inter domesticos parietes levioribus pœnis, medicinalibus potissimum, si ita res postulare videatur, corrigantur; ii denique qui à Reverendissimis DD. Ordinariis, ob graviores excessus, publica auctoritate puniti fuerint, subsequenter in domibus Emeritorum per exercitia spiritualia, exempla et monita piorum virorum, solide emendentur : In reliquis vero, una cum omnibus hujus Instituti membris, quivis Superior Summo Pontifici et Reverendissimi D. Ordinarii sui Jurisdictioni sic subest, ut non tantum ad ea quæ à Clericis Sæcularibus communiter præstanda sunt, sed

etiam ad Constitutionum hujus Instituti, ac debitæ disciplinæ observationem, a reverendissimis DD. Ordinariis adstringi possint.

LXV. Quamobrem omnes et singuli non solum Dei mandata Divinaque consilia filialiter observent, et mandatis Ordinationibusque S. Sedis Apostolicæ, ac Reverendissimorum DD. Ordinariorum debite sese subjiciant; verum etiam Constitutionibus et disciplinæ hujus Instituti tam supremus Præses et Superiores reliqui, quam cæteri Clerici obtemperent, prout uniuscujusque conditio requirit, ut sic totus status undequaque perfectus in sua compage conservetur. Cæterum obedientia, respectu superiorum hujus Instituti, nulla specialis ex obligatione Juramenti, sed solummodo ea est quæ ex jure naturali, in quovis statu, superiori legitime mandanti debetur.

LXVI. Superiores se ipsos exemplum præbentes, in quotidianis exercitiis et observatione statutæ disciplinæ primi existentes, per prudentiam et discretam moderationem ad sui amorem omnes trahentes, ea suavitate regant, qua ab omnibus libenti animo rationabile obsequium disciplinæ obedientiæque præstetur. Unde quamdiu per solas admonitiones paternasque ordinationes subditos ad ea quæ præstanda sunt inducere valent, potestate sibi tradita, mandando sub obedientiæ vinculo, uti non debent, sed solummodo dum subditos suos alia ratione, in rebus gravioris momenti, ad observantiam rerum præscriptarum inducere nequeunt. Præprimis vero attendere debent ad debitam punctorum substantialium, communitatis bonorum, cohabitationis fraternæ, et mulierum separationis, practicam observantiam.

LXVII. Ordinarie autem hic ordo in correctione alicujus qui contra Instituti Constitutiones, ac præcipue contra puncta substantialia, delinquit, conformiter præcepto de fraterna correctione à Christo Domino Nostro Matt. 18. exposito, servandus

erit : Primo moneatur fraterne ab immediato superiore suo, vel alio quocumque; Secundo, si hæc fraterna monitio nihil proficiat, recurratur ad mediatum superiorem Diœcesanum vel alium; Quod si vero superiorum Instituti charitativas admonitiones et correctiones contempserit, deferatur ad Ecclesiam, videlicet ad competentem Judicem Ecclesiasticum, qui pro sua Jurisdictione ad parendum talem compellat. In delictis autem publicis personarum hujus Instituti, si Reverendissimus D. Ordinarius à se statuendas pœnas, potius in domo Emeritorum quam alibi persolvi à reo voluerit, in eo superiores Instituti stricte obedient.

LXVIII. In specie vero quilibet superior ea fideliter exequatur quæ sui sunt muneris, nec in officium alterius majoris aut minoris superioris inordinate se immisceat, ne confusio suboriatur. Neque etiam rerum cœlestium contemplationi ac spirituali quieti in tantum se tradant, ut, reliqua fastidientes, suorum curam vel obiter tantum gerant, vel omnino negligant; quæ omnia in homine privato virtutis, in Superiore vero maximæ vitiositatis esse merito censenda sunt.

LXIX. Divinis promissionibus innixi, viam regiam confidentiæ in Deum in quibusvis negotiis adversitatibusque constantissime teneant, certissime sibi persuadentes Omnipotentem Dei bonitatem semper plura nobis dare paratam esse, quam nostra necessitas requirat. Insuper regimen suum solida et constanti probitate ac pietate in Deum ita firmare satagant, ut inter suos tanquam Sol, à mane usque ad vesperam, sancto quodam virtutum fulgore lucere conspiciantur; Apostolo monente : *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum.*

LXX. Constitutionum observationi sedulo invigilent; majorum placitis inhærendo, novitates fugiant; ad externam quoque disciplinam solide observandam magno zelo incumbant, ut subditi facile intelligant transgressionem etiam minimorum superiori suo

displicere. Conferentias spirituales suis temporibus instituant, et cum suis privatim etiam sæpius loquantur, ut sciant in quo statu quisque versetur, et quas necessitates, tam in spiritualibus quam temporalibus, patiatur.

LXXI. In omnibus tales se subditis exhibere satagant quales ipsi libenter etiam alios erga se habere vellent, si subditi essent; et maxime sibi curæ habeant ut, sine suæ personæ acceptione, uniformem aliis cohabitantibus, in humili mentis ac spiritus submissione, vitam degant; et nec minimum talis eminentiæ signum edant, quod proprium amorem aut suæ personæ honorem fastumque animi sapiat; sed in omnibus actionibus ac mandatis mansuetudinem verborum, suavitatem morum, modestiam et charitatis affectum demonstrent, ut sic subditi in obsequium obedientiæ captiventur.

LXXII. Erga omnes humanitate comitateque utantur, faciles aures eorum honestis postulatis præbendo, et pro diversitate rationum, gravitatem severitatemque ita conjungant, ut qui amore regi malunt, filios se esse experiantur, qui vero secus fecerint, imperium sentiant Superioris. Beneficiis quoque domesticæ charitatis omnes sibi in obsequium amoris devincire conentur, et eorum delicta virga severitatis ac justitiæ ita corrigant, ut tamen simul oleum consolationis ad exemplum Samaritani vulneribus infundant. Insuper diligenti circumspectione ad suorum necessitates attendant, et tempestive easdem sublevare studeant; omni etiam hora promptam benefaciendi voluntatem accedentes experiantur.

LXXIII. Simplicem veritatem ut pupillam oculi custodiant, ut sicut os loquitur, ita et cor sentiat; animique candorem et sinceritatem, tam in verbis quam in factis, exclusa omni politica simulatione, sic præ se ferant, ut subditi de contrario nullam suspicionem habentes, vere sentiant tuto se illis fidere posse. Datam

fidem erga omnes fideliter custodiant, et si quid secretorum subditi illis crediderint, silere sciant.

LXXIV. Ad animi fortitudinem in adversis in omni vita sua magis conentur, qua domesticorum et propriis malis possint resistere, atque æquo animo prudenter, ad exemplum Christi et Sanctorum ejus, tolerare. Pondere fortitudinis caveant ne, nimia animi facilitate, ad omnem subditorum propensionem precesque propositam ante sententiam mutent. In rebus agendis deliberationes serias præmittant, ad quas tam experientia quam natura prudentiores adhibeant; proponant res discutiendas absque inclinationis suæ manifestatione in utramque partem ; interim tacite secum rationum momenta discutiant, concedantque consultatoribus sufficiens pro rei gravitate tempus deliberandi, ut sic in ferendis sententiis prudenter procedant.

LXXV. In sententia quam semel consilio elegerunt fortissime persistentes, etiam non obstantibus quibuscumque contrariis, ad executionem rerum constantissime provehantur. Si tamen propter circumstantias primum ex post facto supervenientes, aut prius ignoratas, moralis impossibilitas rerum exequendarum, aut majora damna ab executione proventura conspiciantur, prudentiæ erit, cum consilio seniorum, aliam viam ingredi. Præterea innatum animi teporem viriliter corrigant ; mature malorum initiis obsistant; medicinasque opposítas non ad extrema conjiciant, laborum pertæsi.

LXXVI. Justitiam diligant, eamque indifferenter erga omnes observent, suorumque delicta impunita non relinquant; in horum tamen vindicatione, pro rei gravitate et personarum qualitate, ita se gerere studeant, ut omnes medicinam potius quam vindictam sentiant. Insuper prudentia utantur, qua in delictis quædam dissimulare sciant, quæ tempore magis congruo corrigantur; graviora prius corrigant, et gradatim ad minora sic descendant,

cognoscantque cujusque naturam, et quibus potissimum mediis singuli facilius corrigi posse videantur.

LXXVII. In rebus agendis extrema devitent : proinde rigidiorem partem nunquam facile amplectentur, quamdiu per mitiorem viam se obtinere posse correctionem sperant ; neque interim, per neglectum aut contemptum minimorum, solis gravioribus invigilandum esse sibi falso persuadeant, aut in hisce errantes admonere et punire negligant. Memores quoque potestatis superioritatis sibi factæ, cujusdam fictæ humilitatis studio, sua mandata, seque ipsos subjiciendo contemni non permittant; multo minus subditorum judicia suis ita ante ponant, ut malint ex illorum sententia errare, quam ex sua prudenter aliquid ordinare.

LXXVIII. Ut in perpetua quadam erectæ mentis statione suo officio invigilare valeant, temperantiæ fulgore omnibus, tam domi quam foris præluceant, et convivia devitent; neque, spreto domesticorum suorum commercio, externorum conversationem et amicitiam ambiant, sed libenter cum suis esse, conversari et convesci satagant; erga quos etiam, uti erga omnes alios, liberales, cum debita tamen moderatione, existant. In conversatione se suis ridendos nunquam exhibeant, nec rebus illis se immisceant quas ignorant, aut in quarum scientitia non excellunt; inde enim dedecus potius atque contemptus quam authoritas in eos redundare solet.

LXXIX. Venerationis aliarumque prærogativarum obsequia, sibi à subditis præstita, mutuo honore et charitatis officio omnibus grati rependant; quin et, tametsi ejusmodi venerationum stipendio subinde priventur, à charitativo tamen eorum obsequio minime recedant; hoc namque animos mire devincire, ac quasi captivare consuevit. Animi motus sibi subjectos moderateque suspensos habeant, maxime vero iracundiæ frænum injiciant; et, ubi subnascentes illius stimulos senserint, vincant se ipsos, et, cum tranquilla mens fuerit, quid agendum sit judicent.

LXXX. Caveant se respectibus humanis induci, ut, horum intuitu, ea inferioribus permittant quæ cum Instituti disciplina felicibusque ejus progressibus pugnent. In omnes intentos habeant oculos, et in eos etiam quorum virtuti atque industriæ multa committuntur, caveantque ne in eos nimia vel confidentia, vel dissidentia ferantur, quia utrumque felicem familiæ gubernationem nonnunquam labefactat. Similiter uni nimium addicti tantum nunquam tribuant, ut alii se neglectos contemptosque sentiant; quæ omnia æmulationes et contemptus, aliaque ingentia mala in gubernationem domesticam invehere solent.

LXXXI. Detractationibus non solum fidem ac aures non præbeant, sed veluti pestem hoc vitium proscribant. Adulatorum assentationes fugiant; neminemque in sua consilia admittant, quem hujus vitii reum habuerint. Quæ talenta unicuique Deus, natura, experientia, ætasque concesserint, Superiores solerter observent, et ex eorum cognitione munera domestica singulis dividant.

LXXXII. Seniores ac laboribus fractos ex animo colant et venerentur, illorumque necessitatibus sedulo occurrant, paterneque habeant. Paternam infirmorum curam gerant, ex animo illis condolendo, sæpius visitando, verbis aliisque tam spiritualibus quam temporalibus mediis consolando. Cognoscere quoque debent domesticorum suorum egressum et ingressum, quibusque in occasionibus, et cum quibus conversentur, quid a singulis domi fiat; omnesque domestici ordinis ac disciplinæ perturbationes pro viribus eliminare conentur.

LXXXIII. Ut officio suo eo magis satisfaciant, in diariis omnia notabiliora consignabunt, eo ordine et modo ut, si necesse sit, omnibus rationem reddere valeant. Sic juramenta a singulis præstita et manu propria subscripta, aliaque ejusmodi particularia certo loco asservabunt; et, ut has ordinationes perpetuo observent, singulis diebus tacite secum pensent quid in officio

sibi commisso neglexerint, et, si quid deprehenderint, serio proponant, cum divina gratia, in humilitate spiritus emendare.

De Regressu ad Superiores.

LXXXIV. Unicuivis subdito recursus ad Superiores majores conceditur, ut, si quandoque quispiam a suo immediato Superiore, sive in spirituali, sine in temporali necessitate indebite gravaretur, et de illis Superior humiliter rogatus remederi nollet, in eo casu ad mediatum et altiorem Superiorem, eo amoris et confidentiæ filialis affectu accedat, quo filius ad Patrem necessitate pressus accedit. Servandus tamen erit in ejusmodi recursu debitus ordo, ut, saltem regulariter et sine speciali causa, ab infimo Superiore, omisso medio, ad supremum non recurratur; excepto recursu ad S. Pontificem, qui semper, etiam omisso medio, adiri potest.

LXXXV. Quod si ob quamcumque difficultatem à Superioribus hujus Instituti, per privatam et œconomicam directionem, servato prædicto ad Superiores regressu, non correctam, ad forum publicum in rebus hoc Institutum concernentibus à gravato deferenda foret decisio, talis difficultas juxta hujus Clericalis Instituti Constitutiones à S. Sede Apostolica approbatas et Sacros Canones reguletur ab eo Reverendissimo Domino Ordinario, in cujus Diœcesi ejusmodi difficultas occurrit.

LXXXVI. Prædictus regressus in vera, bene considerata et rationabili necessitate, quæ vel personam, vel œconomiam, vel statum concernat, ita fiat, ut interim de pristino ac debito amoris affectu, aut de subjectionis voluntate ac promptitudine nihil remittentes, omnia æquo animo, sedatis prorsus passionibus, cum debita humilitate, suæ voluntatis resignatione, ac prompto et indifferenti ad omnia animo, Superiori aperiant, et ejusdem Judicio tanquam filii obedientiæ acquiescant. Modum

denique eum in prædicto regressu ad Superiorem observent, ut inde nulla incommoda, aut disciplinæ domesticæ detrimenta consequi possint.

De revelatione hominis interioris Superiori facienda.

LXXXVII. Medium imprimis necessarium ad conservandos status spirituales in debita sua perfectione et perenni felicitate, est revelatio hominis sui interioris, cujus beneficio notitia acquitatur qua propriis quarumlibet tentationum et supplantationum diaboli (quibus ipsam status substantiam, et genuinum vocationis spiritum paulatim in singulis membris infringere, enervare, et pessundare conatur), principiis mature obvietur ac resistatur, insidiæque mundi ac carnis, mature deprehensæ, detegantur ac declinentur, aut futuræ imminentesque præcaveantur.

LXXXVIII. Proinde singulis annis unusquisque semel, tempore exercitiorum spiritualium, Patri suo Spirituali totum hominem suum spiritualem et internum fideli sinceritate revelet, et detectis ea ratione diabolicæ supplantationis insidiis, et salutaribus ejusdem consiliis contra easdem munitus, interim de novo pie sancteque vivere, et in via salutis ac perfectionis progredi incipiat. Confessario quoque suo proprio suum internum hominem tam ad bona quam ad mala aperiant, instinctusque sive bonos sive malos revelent. Præterea, per modum familiaris colloquii, Superiori in districtu decanali omnes Clerici qui sub ipso degunt, tempore visitationis fideliter statum in quo pro tempore quoad suum hominem spiritualem fuerint, aperient; cujus etiam spiritualibus monitis et piis mediis quæ præscripserit diligenter acquiescent.

LXXXIX. Idem observabunt Superiores Decanalium districtuum respectu Præsidis Diœcesani, sub visitatione annua ejusdem, aperiendo eodem modo statum hominis sui spiritualis candida

fidelitate. Pari ratione Præsides Diœcesani, quoad suas personas, uti et illi qui iisdem Præsidibus cohabitant, observabunt respectu majoris superioris, sive tempore visitationis, sive alio tempore convenienti, singulis annis hominem suum interiorem pari ratione revelantes, et sic per ordinem Superiores omnes usque ad Supremum Præsidem id observabunt. Denique ipsemet Præses Supremus in annuis exercitiis eamdem revelationem hominis sui interioris Patri suo Spirituali faciet; pari quoque ratione negotium animæ suæ in humilitate et fidelitate cum Confessario suo proprio omni tempore vitæ suæ pertractabit. Porro dexteritas in superioribus requiritur, ut revelantem ad sectandam majorem perfectionem in fortitudine Spiritus excitatum cum consolatione dimittant.

De notitia Personarum habenda.

XC. Quantum fieri potest Superiores hujus Clericalis Instituti notitiam de singulis, et de totius status constitutione provide omni tempore callere oportet, qua ratione singuli ad obtinendam æternam salutem, et status totus ad debitam suam perfectionem, quam congruentissime dirigantur. In hunc finem quilibet Superior, tam pro spiritualium rerum quam temporalium directione constitutus, notabit ea quæ consideratione digna fuerint. Deinde totius Instituti Præses pro felici gubernatione nosse debet singulorum districtuum statum, uti et alii superiores districtus sui notitiam habebunt. In hunc finem Superiores inferioris ordinis majoribus Superioribus de personis sibi subditis debitam informationem certis temporibus dabunt; scilicet Superiores Seminariorum de suis studiosis, uti et Superiores Domuum emeritorum de personis ibidem existentibus, Superiores districtuum decanalium de personis sui districtus, et sic per ordinem.

ORDINATIONES PRO ŒCONOMIS.

XCI. Ut Communitas bonorum cum majori fructu Ecclesiæ Catholicæ, ac præsertim Cleri, executioni dari possit, et ut omnia hujus Instituti membra videant, ac re ipsa experiantur, quod præter bonum in rebus et exercitiis spiritualibus ordinem, etiam temporalium administratio in omnibus, quoad fieri potest, ordinate procedat, singulorum locorum Œconomi eam in administrandis rebus temporalibus adhibeant curam, ut merito singuli propter bonum in rebus omnibus ordinem ex animo lætentur.

XCII. In hunc finem, tam Superiores quam Œconomiarum administratores, et quicumque aliquo modo rerum temporalium curam habent, magna cura providentiaque circumspicientes, attendant tam ad subditos suos quam ad universæ Œconomiæ administrationem, eumque in eadem ordinem constanter observare satagant, ut ex illa unicuique omnia, non solum ad necessitatem, sed etiam ad convenientem commoditatem ministrentur, itaque omnes qui simul habitant exinde satisfactionem habeant.

XCIII. Ad obtinendam prædictam administrationem domesticam spectat ut singularum hujusmodi rerum administrationes ita dividantur, quatenus, mediante subordinatione officiorum à summo usque ad infimum, singuli in ordine ac munere suo rite præstando omni tempore contineantur, et ordinationis suæ directionem à Superioribus capiant.

XCIV. Œconomi seipsos aliis non præferentes, ac potius in omnibus per abnegationem sui exemplum præbentes, ita cum aliis uniformiter per omnia vivant, ut intra omnes, ab infimo usque ad summum, amoris, pacis, mutuæ dilectionis, et unitatis vinculum integerrime conservetur, dum omnes (cæteris paribus), ex prædicta rerum omnium uniformitate, se vere pro filiis et domesticis haberi manifeste deprehendent.

XCV. Quod si contingat aliquem esse debilioris complexionis, superiores, illius infirmitati paterne condescendentes, eumdem, cum consensu Reverendissimi Ordinarii, in Parochia, vel conditione aliqua, ubi cum socio secundum aliquas commoditates sibi necessarias commodius vivere possit, exponi curabunt. Universim erga suos in infirmitatibus et aliis casibus humanæ necessitatis austeri non existant, sed magis per omnia iisdem compatientes, se vere et cordialiter charitativos exibeant.

XCVI. Ob gravissima damna quæ tam ex parte domesticorum quam externorum evenire solent, æs alienum non contrahant; proinde familiam suam ea circumspectione instituant, ne facile unquam annui sumptus redditus excedant, ex opposito namque cumulata debita debitis accrescunt.

XCVII. Pro domestica politia debite conservanda, omni possibili conatu, diligentia ac providentia curent rerum omnium munditiem servare; nec minori sedulitate studeant ut omnia et singula in suis locis sint diposita. In quovis loco particulari vestiarium ordinetur, in quo sicut omnia vestimenta asservari, ita etiam ex eodem omnia et singula cuilibet subministrari oportebit. Debita quoque Bibliothecæ et librorum cura habeatur, talesque libri procurentur qui potissimum pro meditationibus, lectione spirituali, concionibus, cathechesibus et similibus usibus necessarii erunt; catalogus quoque librorum in eodem loco asservetur.

XCVIII. Quemadmodum abjectio aut nimius luxus externæ speciei atque habitus Clericum apud omnes vituperare et contemptibilem reddere, ita modestia et honestas maxime semper commendare consuevit; inde enixe laborandum est qua ratione utrumque conjungatur. In vestitu ergo uniformitatem et honestatem longarum togarum, sive talarium, cum collaribus, prout honestos Clericos decet, ubique terrarum omnes diligenter observabunt. Cura autem hujus penes dispensatorem rerum

temporalium cujusque loci erit, ut suos honeste et mature vestiri faciat, et uniformitas, quantum fieri potest, perpetuitate quadam ubique et in omnibus observetur. Materia togarum talarium universim ea erit, quæ et honestatem et modestiam in homine exteriori præ se ferens individua quadam societate conjungit ; qualis omnis illa materia esse potest (servata discretionis proportione aliquo modo ad officium et dignitates externas), quæ splendore, forma, aliisque qualitatibus vanitatem, luxum et mollitiem minime præ se ferat.

XCIX. Similiter in victu aliisque quibuscumque rebus eam, cæteris paribus, æqualitatem et uniformitatem erga omnes observent, qua debita animorum unio inter domesticos foveatur ; ejus quoque providentiæ Superiores et Œconomi esse debent, qua singulorum necessitates sollicite respiciant et præveniant ; aliorum quoque consilio, præsertim in rebus gravioribus, familiam suam in via charitatis fideliter administrent.

C. Quod attinet ad rationem administrandæ Œconomiæ ad extra, studiose caveatur ne avaritiæ nota huic Clericali vitæ, Œconomorum sive aliorum culpa, merito imputari possit. Hinc, si legata quædam pia huic Instituto advenirent, in iis magna cum moderatione et quarumcumque personarum satisfactione, quantum prudenter fieri poterit, procedi debet. Pari modo in vendendo et emendo Œconomi æquitatis sint memores. Opificibus quoque et operariis satisfactionem sine morositate præstent ; idem etiam observetur quoad famulos aliosque domesticos.

CI. Circa Jura stolæ, oblationes annuas, funeralia, ac similia accidentalia, omnes omnino, tam prudentiæ quam discretionis memores, liberum illis qui talia solvere tenentur relinquant dare, ex bono et libenti animo, quod justum et æquum ipsimet judicabunt, et sine gravi difficultate dare poterunt. Quod si vero bonitate et discretione illa subditos abuti videant, tum merito

quæ sibi ex Jure Parochiæ et Ecclesiæ ordinatione debentur, ad Jura Parochialia manutenenda, postulare poterunt et subinde debebunt.

CII. Unusquisque Sacerdos beneficiatus ad distribuendum pauperibus aliquid habeat, ut pro iisdem convenienter expendatur. Ordinariæ tamen eleemosynarum elargitiones non ab omnibus passim fiant, sed ab Œconomo aut alio ab eo deputato.

CIII. Juxta Constit. 20. Sacerdotum, super redditibus omnibus, tam fixis quam accidentalibus, uti et super expensis, tam ordinariis quam extraordinariis, justus et exactus calculus ab omnibus Œconomis in manuali sive libello quodam ubique teneatur, ordinatumque quoddam ratiocinium quot annis ab unoquoque Œconomo de omnibus acceptis et expensis conficiatur, ac certo loco ac tempore præscripto exhibeatur. Ut vero ordinatius in hoc puncto procedatur, particularia ratiocinia asserventur in quovis loco particulari, decanalia in loco decanali, extractus eorumdem apud capsam Diœcesanam, sicque usque ad calculum generalem omnium rerum hujus Instituti procedendo, quatenus superioribus convenienti tempore ubique exiberi possint.

CIV. Archivium particulare in quovis loco, et aliud in loco decanali, ut et in quavis Diœcesi et Archidiœcesi, generale denique pro toto Instituto ordinari debet, ita ut, in particularibus documenta Parochialia, specificatio reddituum, inventaria rerum domesticarum, una cum inventariis librorum, et similia ; in generalibus vero Archiviis, generalia documenta asserventur, eo ordine et modo, ut pro quavis occasione statim ad manum haberi possint.

DE OFFICIO ET DIRECTIONE SUPERIORUM IN SPECIE.

CV. Superiorum hujus Clericalis Instituti sequens subordinatio statuitur, uti et Œconomorum qui dependenter a Superiorum

directione rerum temporalium curam gerunt, ut ita, ab infimo usque ad summum, tam Superiores quam Œconomi inter se connexionem et debitam dependentiam habeant, ultimaque dispositio hujus Instituti a Præside Supremo derivetur, ut sic mutuo consilio et directione omnia ordine suo peragantur et dispensentur.

CVI. Tota vero subordinatio tam Superiorum quam Œconomorum in quinque gradibus personarum consistit. In primo sunt superior cujusque loci particularis; in secundo superior alicujus districtus Decanalis et Œconomus; in tertio Præses et Œconomus Diœcesanus; in quarto, ubi Diœceses quædam correspondentiam habent, Præses Archidiœcesanus et Œconomus; in quinto denique Supremus totius Instituti Præses cum suo Œconomo; qui omnes quatenus a Reverendissimis DD. Ordinariis suis dependeant, habetur supra numero LXXXV, et in sequentibus clarius exponitur.

DE PAROCHIALI ET CUJUSQUE LOCI PARTICULARIS DIRECTIONE.

CVII. Quia Clerici et Sacerdotes hujus Instituti per pagos et Oppida in salutem populi dispersi, bini, terni, vel plures cohabitare solent, divisim in singulis locis superioritas et inferioritas constituatur necesse est, ut disciplina debitum observationis effectum sortiatur, dum omnes uni in quovis particulari loco obediunt: quam superioritatis directionem perpetuo is habebit qui Parochus, sive principalis beneficiatus cujuscumque loci pro tempore extiterit.

CVIII. Cui proinde non solum tota familia, verum magis Clerici cohabitantes, in omnibus quæ rationabilia secundum Deum fuerint, tam in spiritualibus quam temporalibus, secundum præscripta hujus Clericalis Instituti obedient, qui tamen non omnia proprio motu disponet, sed suorum consilium, in omnibus quæ alicujus momenti fuerint, adhibebit.

CIX. Singuli locorum particularium Superiores suorum maxime domesticorum curam ex animo gerant, diligentique circumspectione attendant ut timor Domini et animorum unitas perpetuo in ædibus suis vigeant. Tam in gubernatione domus, quam administratione Œconomiæ, dirigi se sinent a sui Decanalis districtus Superiore, et quæ in visitatione vel alias fuerint mandata diligenter observabunt.

CX. Inspiciant frequenter in anno res quæ possidentur, ut quæ reparatione indigent mature reparentur, aut quæ servando servari non possunt, de illis mature disponatur. Vigilanti etiam cura ad supellectilia, libros, cellam, et loca frumentis deputata attendant, ne quid intereat furto, prodigalitate, aut alio modo male distrahatur ; quare claves diligenter penes se, vel (si ratio particularis ita postulare videatur), penes Clericos sibi cohabitantes retinebunt.

CXI. Originalia decimarum aliorumque proventuum instrumenta in Archivio cujusque loci diligenter asserventur, cum annotatione temporum quibus quæque pendi solent ; juxta quorum normam singulis annis fiant duo libelli, ut in unum referantur per ordinem prædiorum perceptæ decimæ, in alterum vero annui canones, sive hi in certa pecunia, sive in alia re pendantur. Sine præscitu Superioris districtus Decanalis fructus decimarum in agris non vendantur, nihilque quod ad locationes, contractus, aut debita contrehanda, aliaque similia spectat, sine ejusdem consilio aut consensu faciant ; cui tamen rationes suas in contrarium, si quas habuerint, modeste proponant.

CXII. Inventarium ordinatum secundum certas Rubricas omnium mobilium quæ in domo sunt, vel ad ipsam spectant, habeant, illudque annuatim tempore visitationis renovent, adscribendo ea quæ noviter advenerunt, et expungendo quæ absumpta vel vendita fuerint. Referant quoque summatim in Codicem lites et acta quæ alicujus momenti circa res temporales contigerint.

Si quæ ustensilia ab extraneis commodato acceperint, annotent omnia speciatim, et calculo rerum domesticarum specificationem adjungant, donec singula restituantur.

CXIII. Nullos notabiles sumptus in ædificia aut alias extraordinarias causas exponent sine præscitu Superioris Decanalis et expresso illius consensu, et quod in usus quotidianos oportebit necessario impendi, curent ut id debita utilitate et industria fiat.

CXIV. Conscribent de die in diem secundum certas Rubricas in libro sive manuali ad hoc deputato, tam quæ in frumentis, quam quæ in pecunia et aliis acceperint et expenderint, reddantque desuper rationem Superiori districtus Decanalis, saltem semel vel bis in anno, quando visitabit. Cui etiam debita et credita Parochiæ, aliaque majoris momenti negotia et acta sua indicabunt, ut ita totius familiæ statum plene intelligere possit.

CXV. Pecunias, quæ ad quotidianos usus non fuerint necessariæ, seorsim reponant, prompto paratoque animo obsignandi Superioribus suis quantum ex iis, in aliqua particulari necessitate, ad bonum hujus Instituti Superioribus necessarium visum fuerit.

CXVI. Tenentur certo statuto tempore facere relationem Superioribus districtus Decanalis, non solum de vita et moribus Clericorum sibi cohabitantium et domesticorum, verum etiam quo in statu familia, tam circa temporalia quam spiritualia, versetur, et quæ pericula incommodaque emergere posse videantur. Ad Conventum in districtu Decanali habendum annuatim quoque debent comparere, scientiarum exercitationes frequentare, aliaque media arripere, quæ ad conservationem institutæ disciplinæ a Superioribus salubriter fuerint ordinata.

CXVII. Clericos sibi cohabitantes ad nutum Superiorum (postquam a Reverendissimis Dominis Ordinariis id petitum et concessum fuerit), suscipient vel dimittent, prout commune Paro-

chianorum, vel Clericalis hujus Instituti, aut particulare ipsorummet Clericorum bonum requisiverit. Qui vero Canonice investiti Parochi vel beneficiati fuerint, non nisi ex rationabili et gravi causa a Reverendissimis Dominis Ordinariis cognita et approbata (servata Sacrorum Canonum et Sacri Consilii Tridentini dispositione), mutabuntur. Ad vacantia beneficia non pro arbitratu suo aspirabunt, sed expectabunt donec a Superioribus Instituti Ordinariis ad ea assequenda commendentur.

De Œconomo Parochiali.

CXVIII. Œconomus cujusque loci particularis ordinarie ipse Parochus erit, aut qui in illo loco primas tenet; quod si tamen Parochus in spiritualibus magis quam temporalibus præstaret, vel, pietatis studio absorptus, hæc infima despectare videretur, ad illius instantiam Œconomiæ administratio in alium aptiorem tranferri poterit; ita tamen ut Parochus Superior semper existat, ab ejusque directione ille Œconomus dependere debeat.

CXIX. In casu quo ipse Parochus Œconomiam administrabit, inferiorem quamdam dispensationem Clerico cuidam cohabitanti ad hoc apto dabit, verbi gratia, curam vestiarii, cellæ vinariæ, expensas quotidianas minutiores in culinam, accepta in stola minori, de quibus omnibus singulis mensibus rationem reddere teneatur.

Observanda quædam ab illis qui Parocho aut Beneficiato principali cohabitant.

CXX. Rerum temporalium administrationi, præter vel contra officium suum, nemo se immisceat, nec earum dispositionem ambiat : liceat tamen cuique prædictarum rerum dispensatorem fraterne per modum consilii de aliquo notabili emolumento vel

detrimento Œconomiæ admonere. Res necessariæ quoad vestimenta et alia utensilia ab Œconomo singulis procurentur.

CXXI. Quemadmodum Parochi, aliique Principales Beneficiati, ita et Capellani, et quicumque Beneficiati aut Clerici cum aliis cohabitantes, singuli suos reditus vel certum suum salarium habeant, de quo in usus huic Instituto convenientes congruo modo disponere possint; cum quilibet respectum et obligationem suam non habeat ad personam particularem hanc vel illam, sed quivis ex ipsis toti Instituto, quoad se et reditus suos, ac vicissim totum Institutum cuilibet membro obligatum intelligatur. Cæterum hæc ordinatio quod Clerici certum salarium habere debeant, de iis tantum intelligitur qui, finitis studiis, aut præstito Juramento, certum officium habent. Clerici vero primæ et secundæ classis, cum ante præstitum Juramentum nondum ad communitatem bonorum obligentur, si quod beneficium habeant, ad aliud non obligantur, quam ut sumptus pro suis personis factos ex beneficii redditibus solvant.

CXXII. Unde is qui præest in quavis domo particulari, debet id quod cohabitantibus Clericis, ex salariis ac reditibus, ultra victum, vestitum, et alias expensas per annum superest, Superioribus consignare, ut pro ipsismet Clericis, servato ordine et distinctione, asservetur, donec ipsimet pro Œconomia inchoanda, vel pro subsidio pauperum parentum suorum, aliisve congruis aut necessariis expensis faciendis, indigeant, aut Instituto voluntarie in vita consignent.

CXXIII. Cuilibet Beneficiato aut Clerico aliquid pecuniæ ab Œconomo ad obvios et quotidianos necessarios usus ita dandum est, ut, postquam expenderint, tantumdem ab Œconomo denuo accipiant; accepta vero ratiociniis debito modo et ordine inscribantur, prout alia omnia quæ sub manibus suis concredita habuerunt, certo statuto tempore in manuale Œconomi referenda sunt.

DE DIRECTIONE IN DISTRICTU DECANALI SERVANDA.

CXXIV. Ut directio Parochiarum aliorumque locorum particularium fructuose subsistat, sequitur secunda superioritas, ad quam, pro quolibet Decanali districtu, locorum Decani rurales si ex hoc Instituto fuerint, aut alii habiles ex eodem districtu assumentur, qui per Juramentum Reverendissimo Domino Ordinario suæ Diœcesis, uti etiam huic Instituto (quatenus de fidelitate eorumdem, quoad publicam Ordinario, et quoad privatam sive Œconomicam directionem Instituto sufficienter provideatur), sese obligabunt juxta formulas infra num. CXLII et CXLIII expressas, solis personalibus mutatis.

CXXV. Dicti Superiores districtuum Decanalium, si simul publico officio Decani fungantur, præter consuetam publicam functionem qua omnes totius Decanatus Parochos et alios Presbyteros in foro externo dirigunt, insuper, non solum quos secum in Domo Decanali habuerint, sed etiam omnes illius districtus Parochos et Clericos qui ex Instituto sunt, secundum illius constitutiones gubernabunt; quorum directioni omnes, tam in spiritualibus quam temporalibus, filialiter subjacebunt : ipsi vero eadem quæ à Parochis observanda sunt imprimis observabunt, ut cœteri, illorum exemplum respicientes, captivitati ad imitationem facilius trahantur.

CXXVI. In quem finem memores esse debent quantopere referat, ut suos domi, et omnes sui Districtus Sacerdotes et Clericos non secus dirigant, ac si omnes ipsis cohabitatione existerent præsentes. Hinc in domo sua vigilanter curabunt omnium Constitutionum exactum servari ordinem : libenter quoque videant si Sacerdotes sui districtus frequenter in Domo Decanali suum regressum quærant, invigilentque ut omnem charitatem sentiant, et, mutua animorum unitate, inibi quasi pro-

priam suam habere residentiam experiantur : ex quo capite mire ad obsequium imitationis, mutui amoris et obedientiæ trahentur.

CXXVII. In gerendis rebus ad Directionem suam pertinentibus, quorumdam Sacerdotum secum habitantium, uti et in suo districtu existentium, consilium adhibeant, eorum maxime qui, judicio Præsidis Diœcesani, prudentia et agendi dexteritate præ reliquis pollere judicabuntur. In domo sua Seniorem Sacerdotem constituent, cui in sua absentia directionem domus committant, cum instructione debita secundum quam sciat se gerere.

CXXVIII. Ordinarie bis in anno singula sui Districtus loca, una cum Socio Œconomo, visitando diligenter inspiciant, non solum transeundo, sed cum Clericis singulorum locorum, sine suæ personæ acceptatione, per aliquot dies in quotidiani cursus et exercitiorum observatione convivant, non secus ac si domi degerent, ut hac ratione cœteri excitati, ejus quæ in disciplina et quotidianis exercitiis jugiter adhiberi debet sedulitatis exemplum concipiant. Videant quoque num omnia, tam in spiritualibus quam temporalibus, juxta normam hujus Instituti observentur ; et quæ ex mutuis Parochorum aliorumque cohabitantium relationibus minus accurate observari deprehenderint, verbo et opere ad debitam observationem reducere conentur.

CXXIX. Gravamina et difficultates singulorum audient, et pro possibilitate sublevabunt. Quorum dilatio fieri non potest et majoris momenti sunt, Superioribus statim intimabunt, eorumque dispositionem, quam cum necessario præscitu et consensu Reverendissimi Domini Ordinarii fecerint, vel fieri procuraverint, studiose exequentur; quæ vero moram patiuntur diligenter annotabunt, ut Præsidi Diœcesano desuper suo tempore ordinate referre possint; notificent item uniuscujusque genium, quatenus ad meliorem gubernationem et salutem requiri videtur, præmo-

neantque mature de necessariis mutationibus et morbis Parochorum, ut Superiores mature singulis providere, et necessarias dispositiones facere, aut ab illis quorum interest ut fiant curare valeant.

CXXX. Si officio publico Decani simul funguntur, considerantes duplicem obedientiæ ordinem, in iis quæ Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum sunt eorum Officialibus, in iis vero quæ Institutum specialiter concernunt Superioribus illius fideliter morem gerant, ad quod eo magis obligabuntur, si in his quoque mandatum speciale eorumdem Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum accedat: juxta quæ, in visitationibus statutis, ea quæ Ordinariorum sunt ad normam publici juris instituant, repertos defectus corrigendo; quæ vero ad hoc Institutum specialiter spectant, secundum normam Constitutionum dirigant; gravioraque utriusque fori sic notent, ut Reverendissimo Domino Ordinario et Præsidi Diœcesano Instituti debite referre possint.

CXXXI. Singulo trimestri, sive quibusvis anni quartalibus, ordinarie Præsidi Diœcesano integram relationem facient status in quo unusquisque locus et persona Instituti versetur, tam circa spiritualia quam temporalia; idem facient extra hoc præscriptum, si urgens necessitas id postulaverit. Ipsi quoque in directione sua, quoad res Instituti, regi se permittent a Præside Diœcesano, quod a potiori etiam de aliis Superioribus intelligendum est, nihilque majoris momenti sine eorum præscitu et voluntate aggrediantur.

CXXXII. Ad Conventum Diœcesanum comparere tenentur, quoties Superiores Instituti eos ad hunc conscripserint. Singulis annis duos in districtu suo Conventus instituant; ad unum horum Parochi, ad alterum Capellani et Beneficiati conveniant, ut singuli referant quæ ad observationem accuratiorem præscriptæ disciplinæ et ad meliorem hujus Instituti progressum, in singulis locis, circa personas, spiritualia et temporalia, relatu necessaria fuerint.

CXXXIII. Tam domus illius in qua habitant quam Parochiarum pecuniæ, quæ ad communes pios usus consignantur, vel etiam pro personis particularibus solum modo asservantur, reponentur in arcam ad hoc destinatam, cujus clavem unam Decanus, alteram Senior Sacerdos, et tertiam Œconomus diversam custodiat. In eadem liber asservabitur, in quo scribatur summa pecuniæ, tam quæ infertur, quam quæ effertur pro necessitatibus in districtu illo evenire solitis.

CXXXIV. In Archivio suo diligenter asservabunt instrumenta, non solum originalia proventuum illius loci cui particulariter præsunt, verum etiam singularum Parochiarum transumpta manu notarii publici subscripta, quæ suis locis reponant, ut facile inveniri possint; similiter servent ordinatam registraturam circa acta sui Officii publici (si id simul gesserint), distinctam ab ea in quam acta Instituti oportebit referri.

CXXXV. Post singula sexennia, in locis ubi decanorum mutatio solita est, in Conventu Decanali Superiores pro tali districtu constituti mutentur; in aliis locis ubi hoc munere perpetuo fungi solent, elapsis dictis annis, quoties rationabiliter visum fuerit, confirmari poterunt. Constituantur vero a Præside Diœcesano, ubi correspondentia non est quoad Domum juventutis et emeritorum in una Archidiœcesi; Ubi vero ejusmodi correspondentia est, Præses Archidiœcesanus eosdem, servato ordine et modo debito constituet: qui deinde acceptati a Reverendissimis Dominis Ordinariis suis, eisdem juxta formulam superius citatam per Juramentum se obligabunt. In casu quo Decanus perpetuus ob negligentiam, vel aliud Instituto intolerabile delictum mutandus foret, interim tamen ut ab officio publico deponatur commode obstineri non possit, Superiores privatam directionem statutæ disciplinæ hujus Instituti in quemcumque habiliorem Parochum, vel beneficiatum illius districtus transferent.

De Œconomo Decanali.

CXXXVI. Omnes Parochiarum aliorumque locorum Œconomi ab uno Decanali Œconomo, qui in hujusmodi rerum administratione prudentiam, sedulitatem et dexteritatem habere noscatur, dirigentur; qui vigilantem oculum habebit, ut non tantum in Domo Superioris Decanalis, sed ut ubivis omnia recte ordinentur.

CXXXVII. Ad eum finem sæpius in anno, prout præsens necessitas et utilitas requiret, ad singula loca veniet, ad cognoscendum cujusque Œconomiæ statum, et ad defectus, si qui occurrant, mature emendendos. In defectum Œconomi, ipse hujus Districtus Superior id præstabit per se, quod per Œconomum ab eo dependentem præstari debuisset, donec, rebus melius ordinatis, alia persona pro hoc officio ipsi adjungi possit.

CXXXVIII. Judicio Præsidis Diœcesani, unus ex Domo Decanali magis idoneus ad Œconomiæ inferioris curam constituatur, qui quotidianas expensas et accepta in codice, sive manuali conscribat, reddatque singulis mensibus accepti et expensi rationem, ut deinde ea summatim in librum rationum domus Decanalis secundum certas Rubricas referatur.

DE PRÆSIDIS DIOCESANI DIRECTIONE.

CXXXIX. In unaquaque Diœcesi ubi receptum fuerit Institutum Præses Diœcesanus erit, qui debitæ disciplinæ et Constitutionum observantiæ inter Clericos districtuum Decanalium curam et directionem habebit; Sique Reverendissimus Dominus Ordinarius eumdem Vicarii in spiritualibus Generalis munere fungi vellet, ad ejusdem beneplacitum utrique muneri cum debita obedientia satisfaciet, ne minimum omittendo aut faciendo quod Ordinario

ullo modo, sive quoad respectum, sive quoad aliud præjudicare jure videri posset; sed potius in omnibus ab eodem ita dependebit, eaque vigilantia officio suo satisfacere studebit, ut debitus respectus, Jura, et simul etiam perfectior obedientia, illeque exoptatus odor, bona scilicet conversatio, a Clero ad obsequium ejusdem Ordinarii fideliter deferantur.

CXL. Quod si non sit simul Vicarius Generalis Ordinarii sui, tunc ad Œconomicam directionem et Instituti hujus disciplinam tantummodo invigilabit, publica ne in minimo attingendo : alias, si Vicarius Generalis simul sit, debitam distinctionem utriusque fori, tam fraternæ correctionis et Œconomicæ directionis, quam publici officii observabit, tam in ordinationibus faciendis, quam in relationibus et visitationibus, utrumque seorsim notando et referendo.

CXLI. Præsidis Diœcesani officium erit totius sui districtus Clericos ea vigilantia paterne ita dirigere, ut pie in hoc sæculo conversantes, omnibus visceribus in salutem Populi diffundantur: quibus ipse in omnibus prælucere enixe studebit, ita ut inter suos in obedientia, humilitate, patientia, sobrietate, castitate, mansuetudine, modestia, gravitate, affabilitate, amore et contemptu rerum temporalium, quasi vivum omnium virtutum exemplum emineat.

CXLII. Ut fidelitas ejusdem, uti et Obedientia ac in officio sedulitas, tam erga Ordinarium, quam respectu hujus Instituti magis constet, præstabit juramentum juxta formulam sequentem.

Formula Juramenti pro Præside Diœcesano, quo se Ordinario suo obligare tenetur.

« Ego NN. pro hac Diœcesi N. assumptus Præses, Deo, et
« tibi Reverendissimo Domino Ordinario meo, tuisque cano-
« nice intrantibus successoribus, spondeo et Juro me sub Juris-
« dictione tua ordinaria, seclusa omni exemptione, in vita Cleri-

« cali, juxta Constitutiones Clericorum Sæcularium in commune
« viventium a Sancta Sede Apostolica approbatas, semper victu-
« rum et moriturum, insuperque Clericos sic curæ meæ commissos
« et committendos juxta easdem Constitutiones fideliter direc-
« turum, et cooperaturum ut hæc vita Clericalis, ex primario suo
« fine animarum curam per ordinarias functiones Parochiales
« intendens, constanter perseveret. Die N. Mensis, N. Anno N.
« sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia. »

Formula Juramenti quo idem se Instituto obligare tenetur.

CXLIII. « Ego NN. Instituti Clericorum Sæcularium in com-
« mune viventium Sacerdos, per Diœcesim N. constitutus Præses,
« Deo et tibi NN. Supremo hujus Instituti Præsidi, tuisque cano-
« nice intrantibus successoribus, spondeo et juro me in hoc Ins-
« tituto, salva Reverendissimi Domini Ordinarii mei Jurisdictione,
« semper victurum et moriturum, etc. ut supra. »

CXLIV. Juxta prædictas Juramentorum formulas, mutatis mu-
tandis, alii certorum districtuum Superiores Juramentum suum
Reverendissimis Dominis suis Ordinariis et Instituto præstabunt.

CXLV. Ut vero dictus Præses Instituti hujus Clericos et Sacer-
dotes, quoad privatam et Œconomicam directionem, ad ædifica-
tionem Ecclesiæ eo facilius in sancta vitæ conversatione guber-
net, in cujusvis Diœcesis Episcopali Civitate quosdam viros ex
hoc Instituto secum habebit, qui ætate, ingenio, doctrina, dis-
cretione, dexteritate, prudentia, et experientia docti excellant, et
Præsidi a consiliis in rebus Instituti bene ordinandis existant;
quidam vero inter eosdem juniores erunt, qui ingenio, doctrina,
prudentia et aliis ad idem aliquando præstandum præditi, a cæteris
addiscant.

CXLVI. Ad hoc munus ex Decanalibus aliisque locis, ad nutum
Ordinarii, assumantur viri quorum prædictæ qualitates a Juven-

tute et longa experientia, ex administratione officiorum et datis Consiliis deprehensæ, sufficienter Superioribus constiterint, ut ita Præses, cum eisdem et toto Clero, sub Ordinario capite suo, in vitæ sanctitate et Clericali disciplina per debitam subordinationem omni tempore contineantur.

CXLVII. Ex prædictis viris unus erit Œconomus, curam habens rerum temporalium hujus Instituti in tota Diœcesi, et alius vir insignis in spiritualibus; qui Præsidi Diœcesano in omni data occasione spiritualiter ad manum erunt.

CXLVIII. Porro in obtinendis Parochiis aut aliis quibuscumque beneficiis, ad quas vel quæ præsentationes ab Ordinariis aliisque ecclesiasticis vel sæcularibus potestatibus, tanquam patronis, suppliciter impetrare oportet, communem stylum observantes, humillimisque precibus omni tempore ea pro subjectis idoneis petere, et dicta subjecta ad ejusmodi beneficia ita commendare studeant, ut, quoad hæc et omnia alia, tam in obtinendis quam resignandis beneficiis, respectu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum et aliorum Patronorum, ordo debitus et usitatus cujusque curiæ Episcopalis stylus accurate observetur.

CXLIX. Ad Reverendissimi Domini Ordinarii sui beneplacitum, singulis annis, in propria persona totius sui districtus domos in quibus Sacerdotes hujus vitæ habitant visitabit, et ubique 2, 3, 4, vel plures dies, prout præsens necessitas et utilitas postularit, persistens, singulorum locorum, dein ipsorummet Sacerdotum gravamina et necessitates, tam spirituales quam temporales, paterno amore audiat, omnibusque secundum rationabilem utilitatem corporis et animæ gratificare studeat: errantes paterne corrigat, et ad meliorem frugem per media salutaria reducere satagat; desolatos et pusillanimes consoletur, et mutationem eorum ordinet ac per eum ad quem pertinet expediendam curet, quorum saluti corporis et animæ rationabiliter expedire judicaverit.

CL. In spiritualibus attendat quomodo singuli in vita spirituali

subsistant; an non periculum ad lapsum aliquem immineat; an et qualiter in pace inter se vivant; an cum debita charitate a suis superioribus immediatis dirigantur, et quomodo disciplina Instituti tam in spiritualibus quam temporalibus observetur: quæ omnia ex informatione mutua superiorum et inferiorum, et ex particulari cum quovis colloquio scire poterit corrigenda, suavi consilio et efficaci admonitione corrigat, et quæ notanda fuerint diligenter consignet.

CLI. De visitatione annua sua debitam relationem Reverendissimo D. suo Ordinario faciet, ut cum ejusdem consensu aut positiva approbatione omnia in praxim dirigantur: quod si item ex visitatione habita referenda fuerint quæ ad publicum forum non spectant, eidem Reverendissimo D. Ordinario sic referantur pro necessariis mutationibus et ordinationibus faciendis, ut nihilominus ea quæ secreta sunt, et salva charitatis et Justitiæ lege propalari non possunt, ac pro præsentibus circumstantiis ad solam fraternam directionem spectant, in secreto permaneant.

CLII. Ad domum Præsidis Diœcesani, vel ad alium commodiorem locum, singulis annis, cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii, Superiores Decanales eorumque Œconomos, indicto per Præsidem Diœcesanum certo die, post habitos particulares Decanalium districtuum Conventus, congregabunt; eritque Conventus Diœcesanus, sive Congregatio in eum finem ordinata, ut videlicet omnia gravamina, necessitates et omnia alia, sive in spiritualibus sive in temporalibus, legitime proferantur; et quæ ad majorem Dei gloriam, proximorum salutem, et imprimis ad hujus Clericalis Instituti conservationem, incrementum et perfectionem; deinde etiam quæ mores, ritus, et debitam in his uniformitatem, omnia denique quæ ad bonum spirituale et temporale spectant. Auditis consiliis singulorum, prævia matura consideratione, Præses Diœcesanus desuper conclusa in Domino faciat. Decanalium districtuum superiores et alii singula conclusa,

postquam Reverendissimo D. Ordinario fuerint concessa et confirmata, domum revertentes, omnia executioni demandent, tam in domo sua, quam aliis in locis quorum directio ipsis est demandata.

CLIII. Præses Diœcesanus eligendus sit in Conventu Diœcesano post singulos octo annos et in casu mortis et extraordinariæ mutationis, per Assistentem prioris Præsidis in Spiritualibus, ac Superiores Decanales, et per Præsidem Archidiœcesanum pro eo casu quo inter Diœcesim et Archidiœcesim adsit communicatio respectu domus Emeritorum et bonorum communium. Si vero Ordinario placuerit unum ex Instituto suum habere Vicarium Generalem, qui simul sit Præses, tunc tres præ omnibus digniores judicati eidem per prædictos nominentur, et illius sit arbitrium eligendi unum ex tribus magis idoneum. Eorum sit confirmatio Præsidis, pluries facienda si libuerit, quorum electio fuit.

CLIV. Casu quo extraordinaria mutatio Præsidis Diœcesani necessaria videretur, Præses supremus, per certam personam vel per litteras rationes hujus mutationis faciendæ Reverendissimo Domino Ordinario exponet, humillimis cum precibus ut in ejusmodi mutationem consentire dignetur. Si vero Reverendissimus Dominus Ordinarius ipsemet mutationem Præsidis ob ejus negligentiam, vel ex alia causa fieri vellet, ut disciplina et alia vi præsentis Instituti observanda eo melius in effectum deducantur, electio novi Præsidis eodem supradicto modo fiet. Si Præses Diœcesanus officio etiam Vicarii Generalis fungatur, et negligenter se gerat in concernentibus Institutum, vel ex alio capite, sit in facultate superiorum Instituti, libere alium eidem substituere atque eligere.

CLV. In præmissis casibus constitutus Præses, ubi a Reverendissimo D. Ordinario acceptatus fuerit, Juramentum ut supra præstabit; quod etiam tum fiet, cum in Diœcesim quamdam de novo Institutum introducendum, et talis Præses Diocesanus a supremo Præside deputatus fuerit.

CLVI. Pro debita observantia Communitatis bonorum, in singulis Diœcesibus capsa sive arca quædam pro bonis communibus illius districtus constituatur, in quam certis temporibus ex Decanalibus capsis, quod pro eorumdem districtuum necessitate et usu moraliter judicio superiorum non necessarium videbitur deponi oportet; uti etiam quod aliunde in bonum illius Diœcesis pro præsenti Instituto quocumque modo adveniet. Hujus capsæ clavem unam Præses Diœcesanus, alteram ejus œconomus, tertiam superior particularis illius domus in qua capsa est, habebit.

De Œconomo Diœcesano.

CLVII. Ut administratio rerum temporalium, quam quilibet superior districtus Decanalis cum suo Œconomo habet, suum finem debite obtineat, in quavis Diœcesi Œconomus erit, qui rerum temporalium Instituti in eadem Diœcesi curam habeat, Præsidi cohabitet, eidemque in munere suo sit subjectus, et cum eodem sub visitatione Œconomias ex informatione mutua cognoscat, an omnia secundum Instituti hujus disciplinam instituantur, et secundum necessitatem cum debita utilitate in victu et amictu aliisque rebus impendantur. Ratiocinia etiam, tam in ædibus Superioris Decanalis quam in aliis quibuscumque locis, una cum cujusque districtus Decanalis Œconomo recipiet, observanda præscribet, et emendanda corriget.

DE PRÆSIDIS ARCHIDIŒCESANI DIRECTIONE.

CLVIII. Officium Præsidis Archidiœcesani pro tota quadam Archidiœcesi, in qua plures Diœceses uni Archiepiscopo subsunt, ordinatur. Quod si Diœcesis quædam valde ampla cum aliis quoad domum Emeritorum connexionem non haberet, vel ex quocumque alio capite directio hujus Diœcesis à quodam Præside Archidiœcesano fieri non posset, eo casu totum quod à Præside

Archidiœcesano præstandum foret, fieri debebit per Præsidem dictæ Diœcesis.

CLIX. Præsidi igitur Archidiœcesano, in suo districtu, Præsides Diœcesani et alii Clerici hujus Instituti, quoad Œconomicam directionem statutæ disciplinæ et observantiam Constitutionum, subjecti erunt, tam quoad spiritualia quam temporalia, in omni humilitate et reverentia promtaque obediendi voluntate, ejusque jussa libenti animo exequentur. Ipse vero Præses suis in omni virtutum genere præluceat, omniaque in pondere prudentiæ, in mensura consilii, et modo dexteritatis ac discretionis aggrediatur; ut ea ratione omnes ad sui amorem trahere, et, sine ullo superioris ac publicæ potestatis præjudicio et offensione, hoc Institutum optime in Domino gubernare valeat.

CLX. Prædictus Præses debita obedientia, timore ac reverentia, Reverendissimis DD. Ordinariis humillime subjacebit. Negotia externa, Ecclesias, et quæ in aliis quibuscumque Jurisdictioni Ordinariæ subjiciuntur, ne quidem in minimo attingere præsumat: atque, ut de subjectione ejusdem omni tempore sufficienter constet, Reverendiss. Domino Archiepiscopo suo per Juramentum se obligabit ea formula quæ habetur supra num. CXLII. de Præside Diœcesano, solis personalibus mutatis, quod idem etiam intelligitur de Juramento quo se huic Clericali Instituto obligare tenetur, juxta formulam num. CXLIII.

CLXI. Ad eumdem spectabit tam susceptio Juventutis in Seminariis huic Instituto propriis, quam vel saltem notitia personarum suscipiendarum in Seminariis Episcopalibus directioni hujus Instituti commissis, priusquam tales juvenes Reverendissimis DD. Ordinariis pro actuali susceptione commendentur. Suscipiet quoque qui jam Sacerdotes, aut finitis studiis, ad hoc Clericale Institutum suscipi voluerint; et universim totius sui districtus directio in spiritualibus, quoad disciplinam hujus Instituti, à dicto Superiore fiet, ad quem propterea graviora referenda erunt.

CLXII. Eidem Præsidi à consiliis, in eadem domo cum ipso et in vicinia habitantes, erunt quidam Viri prudentes et docti, quorum opera, consilio et matura circumspectione in officio suo adjuvetur. Prædicti Viri, ad beneplacitum Reverendiss. Domini Archiepiscopi, eidem simul à consiliis esse et simul, pro ratione circumstantiarum, beneficia curata vel non curata in eodem loco consequi vel habere poterunt. De habitatione ejusdem Præsidis in domo Emeritorum habetur parte III. num. XVII et XVIII.

CLXIII. Officium hujus Præsidis erit, potiore tempore, cum suo Œconomo districtum suum visitare, et ubique ea quæ presens Institutum concernunt, sive spiritualia sive temporalia negotia sint, paterne ex omni parte instituere, ita ut ex hac ipsius visitatione superiores et inferiores ejusdem directioni subjecti dirigantur. Ad eumdem spectabit per Œconomum suum ordinare quomodo per media communitatis in singulis necessatibus succurri possit ac debeat; et universim commune bonum hujus Instituti in fines suos secundum Deum diriget, cum Præside Diœcesano conferet, dando principia in praxi observanda, ordinando qualiter Sacerdotes recenter ordinati, vel alii qui beneficium stabile necdum obtinent, applicari debeant, ut ipse Præses Diœcesanus postea eosdem Reverendissimo Domino Ordinario commendet, et promotionem in singulis casibus humillimis precibus impetret.

CLXIV. In visitatione sua idem Præses perpetuo hoc observabit ut, ante omnia, ingrediens Diœcesim illius districtus Archiepiscopalis, Reverendissimum D. Ordinarium illius loci adeat, et cum omnimoda submissione benedictionem ac facultatem Clericos hujus Instituti in eadem Diœcesi habitantes, in iis quæ ad Œconomicam hujus Instituti directionem spectant, visitandi humillimis precibus petat, ejusque imperio in omnibus obediat, et tunc demum visitationem suam in Domino salubriter perficiat,

eaque finita, debitam relationem desuper Reverendissimo Domino Ordinario faciat. Quod idem respectu Reverendissimi Domini Archiepiscopi sui observabit, humillime veram et sinceram relationem de omnium hujus Instituti Clericorum vita faciendo, ac mandatis superioris potestatis in omnibus obtemperando.

CLXV. Domus superiorum sui districtus diligenter visitabit, atque ex mutua relatione prudenter explorabit in quo statu singula loca Instituti versentur; in visitatione sua Œconomos pro rei exigentia mutabit, aut prout visum fuerit confirmabit; Præsidi quoque Supremo hujus Instituti sinceram de statu in quo Clerici hujus Instituti in suo districtu pro tempore fuerint relationem in scripto, vel, si fieri possit, in persona propria faciet, simulque etiam generalem notitiam eidem de statu temporalium rerum hujus Instituti exhibebit; cui etiam sine ullo Jurisdictionis publicæ præjudicio in omnibus obediet, et in rebus majoris momenti ad illius consilia et voluntatem recurret, in quacumque parte mundi existat.

CLXVI. Præterea specialem curam domuum Juventutis instituendæ et Emeritorum gerens, illas singulis annis bis visitabit, diligenterque earum constitutionem domesticam tam in spiritualibus quam temporalibus inspiciens, cuncta semper ad Instituto conformem statum reducere et conservare studebit. Dictis domibus superiores magistrosque alios tam studiorum quam virtutum præficiet, et suo tempore pro utilitate et necessitate mutabit; in Seminariis vero Ordinariorum et aliorum Patronorum, prædictos superiores Reverendissimis DD. Ordinariis commendabit et nominabit, ut ab ipsis acceptentur.

CLXVII. Mediorum præterea temporalium dictarum domorum dispensatio ac cura penes ipsum stabit; quæ omnia et singula, mediante Œconomo sibi adjuncto, ad illarum emolumenta impendantur. Porro singula seminaria quæ à Sacerdotibus hujus Instituti diriguntur particulares capsas habeant, super quorum

bonis specialia quoque fiant ratiocinia ; idem observandum circa domus Emeritorum. Tam Seminariorum vero quam domorum Emeritorum ratiocinia statutis temporibus à superioribus diligenter revideantur, et si qui defectus inveniantur, corrigantur.

CLXVIII. Cum præscitu et consensu superioris potestatis singulis trienniis Conventus pro districtu Archidiœcesano in Civitate Archiepiscopali, vel in domo Emeritorum instituetur, ad quem omnes Præsides Diœsani in quadam Archidiœcesi correspondentes, cum consensu Reverendissimorum DD. Ordinariorum suorum, comparebunt una cum œconomis suis; cui Præses illius districtus Archidiœsani præerit, ibique primo omnia quæ, ex relatione Conventuum præcedentium Diœcesanorum et decanalium aut ex alio capite prolata, disciplinam et bonum hujus Instituti concernunt, auditis prius consiliis ac considerationibus singulorum, à dicto superiore facienda vel omittenda decernantur.

CLXIX. In his Conventibus non attingentur quæ Jurisdictionem cujuscumque Ordinarii concernunt. Omnia denique quæ in Conventibus ordinata fuerint, protocollo diligenter et ordinate inserantur, ut posteris et Reverendissimis DD. Ordinariis semper de omnibus ratio reddi valeat. Fiet id per certas personas quæ tam hæc quam alia posteris pro notitia necessaria annotabunt. Post Conventum autem Archidiœcesanum celebratum Præses Reverendissimo D. Ordinario suo desuper debitam relationem faciet.

CLXX. Post novem annos, in Conventu illius districtus, officium suum ad manus Præsidis supremi resignando, mutabitur; et duo deputati, vel ipsimet Visitatores Præsidis Supremi constituentur, qui vota Præsidum Diœcesanorum et aliorum suscipientes Præsidi supremo transcribent, à quo, notitia talentorum quam ex factis sibi de singulis relationibus habere debet, et ad votorum

rationem simul attendendo, ex viris sibi propositis præstantior pro Præside illius Archidiœsani districtus denominabitur; qui postmodum Reverendissimo D. Archipræsuli suo, per Juramentum supradicto modo, uti et Instituto se obstringet. Quod si vero dictus Præses Archiepiscopo non placeat, tunc Supremus Præses sine nova Congregatione aliam personam eidem nominabit.

CLXXI. In illis locis ubi plures Diœceses unius Archiepiscopatus inter se connexionem habent ad communem utilitatem domus Emeritorum, constituenda est capsa Archidiœcesana, ad quam tam Clericorum hujus Instituti non necessaria ex capsis Diœcesanis, quam media aliunde advenientia, deponi debent, ut pro utilitate ac necessitate totius illius districtus Archidiœsani expendantur et applicentur. Clavem pro eadem habebit Præses Archidiœcesanus, alteram ejus Œconomus, tertiam superior particularis illius domus in qua capsa erit.

De Œconomo Archidiœcesano.

CLXXII. Officium hujus Œconomi erit Præsidi illius districtus in Visitatione adesse, et curam rerum temporalium hujus Instituti ubivis suscipere; in omni loco necesssitates et omnia alia incommoda quæ vel personæ particulares aut integræ familiæ patiuntur, charitative audire, et in Domino juxta directionem sui Præsidis remedium adhibere; ac præsertim ratiocinia generalia super bonis communibus Instituti per illum districtum conficere. Hujus Œconomi ordinationibus omnes alii Œconomi inferiores acquiescent, ita ut quidquid rationabiliter ordinaverit observent. Ad hoc munus viri in omni genere præstantes requiruntur, qui et ipsi obedientes sint et in rebus alicujus momenti aliorum prudenti consilio utantur, atque, ubi rei gravitas requirere videbitur, ab ipsomet Præside Archidiœcesano ordinationem petant, e cujus directione perfectissime in officio suo dependebunt.

DE PRÆSIDIS SUPREMI DIRECTIONE.

CLXXIII. Hujus Instituti caput, sub nomine Præsidis Supremi vel Generalis, constanter unum erit. Hic Præses totum Institutum, tam in spiritualibus quam temporalibus, in quamcumque mundi partem diffusum fuerit aut diffundetur, secundum Deum, sine ullo Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum præjudicio, directione solummodo privata et Œconomica secundum Constitutiones hujus Instituti à S. Sede Apostolica approbatas, gubernabit.

CLXXIV. Quidquid ergo, bonum vel conservationem præsentis Instituti concernens, tanti momenti fuerit ut id superiores eidem subordinati, juxta ea quæ in præcedentibus traduntur, neque per se, neque per Congregationum seu Conventuum consultationes, ob causæ gravitatem decidere prudenter non potuerint, illud à Præside supremo decernetur ; et hac ratione omnes hujus Instituti superiores et inferiores, in suo ordine, Supremo Præsidi prædicto modo obedient.

CLXXV. Ipse Præses Supremus Summo Pontifici et Sanctæ Sedi Apostolicæ in omnibus quæ præsens Institutum attinent specialiter obediet, ea prorsus ratione qua Præsides particulares Reverendissimis suis DD. Ordinariis obedire tenentur. Idem Præses, suo et Instituti nomine, per juramentum Summo Pontifici et S. Sedi Apostolicæ post sui electionem se obligabit, prout etiam fidelitatem suam erga hoc Institutum per speciale juramentum prout sequitur promittet.

Formula Juramenti pro Præside supremo.

CLXXVI. Ego NN. Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium Sacerdos, et ab ejusdem Instituti Præsidibus canonice electus Præses Generalis, tibi Sanctissimo Domino

Nostro NN. tuisque canonice intrantibus Successoribus, ac S. Sedi Apostolicæ spondeo et juro me, sub obedientia Sanctitatis Tuæ et Successorum tuorum, in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Sæcularium in Commune viventium ab eadem S. Sede Apostolica approbatas semper victurum et moriturum; insuperque Clericos omnes hujus Instituti sic curæ meæ commissos et committendos, sub omnimoda RR. DD. Ordinariorum jurisdictione juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, ac, quantum in me est, ad mandatum Sanctitatis Tuæ in quasvis mundi partes missurum, et cooperaturum ut hæc vita Clericalis, ex primario suo fine animarum curam per ordinarias functiones parochiales cohabitando intendens, constanter perseveret. Sub die N. Mensis N. Anno N. sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia.

Formula Juramenti pro eodem Præside per quod se toti Instituto obligare tenetur.

CLXXVII. Ego NN. Instituti Clericorum Sæcularium in commune viventium Sacerdos, et ab ejusdem Instituti Præsidibus canonice electus Præses Supremus, vobis nomine totius Instituti congregatis spondeo et juro me in vita Clericali juxta Constitutiones Clericorum Sæcularium in commune viventium à S. Sede Apostolica approbatas semper victurum et moriturum, insuperque Clericos omnes hujus Instituti sic curæ meæ commissos et commitendos, sub omnimoda Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum authoritate et jurisdictione juxta easdem Constitutiones fideliter directurum, et cooperaturum etc., ut supra.

CLXXVIII. Ad Præsidem Supremum spectabit vitam Præsidum in diversis Archidiœcesibus et Diœcesibus, præsertim quoad directionem à Præside Archidiœcesano non dependentibus, per suos visitatores generales, aut per alium delegatum inspicere,

et ex urgentibus causis, etiam extra tempus ordinarium, eosdem Superiores cum consensu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum modo supradicto mutare. De incorrigibilibus respectu rerum Instituti eidem Præsidi relatio mature fiet, ut, si ita necesse visum fuerit, tales, de mandato et consensu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum (servata Sacrorum Canonum et Sac. Trident. Concilii dispositione, et attenta Clericorum hujus Instituti ex pacto mutuo proveniente erga Superiores ejusdem Instituti in similibus casibus obligatione) à beneficiis amoti in domo Emeritorum seorsim vivant, juxta ea quæ habentur parte tertia de Directione Domuum Emeritorum.

CLXXIX. Quod si in aliqua Diœcesi vel Regione de novo introductio hujus Instituti à Reverendissimo Domino Ordinario desideretur, Præses Supremus ordinationem desuper faciet, et personas qualificatas determinabit quæ illuc mittantur, atque ubique locorum, cum consensu Reverendissimorum Dominorum Ordinariorum, præsens Institutum introducere allaborabit. Quoniam vero nemo sibi ipsi sufficiens, præsertim in re tanti momenti, hinc dictus Præses juxta se viros doctos et prudentes ex omnibus orbis partibus habebit, qui eidem in rebus agendis adsint.

CLXXX. Ex his duo assistentes Præsidis erunt, alter in spiritualibus, alter in temporalibus, quoad Œconomicam directionem totius Instituti; et universim tam hi quam alii prædicti apud eumdem Præsidem habitabunt, ut ipse singulorum consilio et opera in gubernatione totius Instituti rationabiliter utatur. Duos etiam Generales Visitatores constituet ex iisdem sibi cohabitantibus, qui singulis circiter decenniis omnes domos in quibus Superiores hujus Instituti cum iis qui ipsis à consiliis sunt habitant, et maxime domos juventutis ac emeritorum eorumque Superiores visitando, diligenti circumspectione sta-

tum singulorum, quaque uniformitate ubique vivatur, intelligant. Errata Superioribus locorum corrigenda et ad uniformitatem reducenda commendabunt; graviora vero annotabunt, domumque suo tempore reversi Præsidi supremo sinceram relationem suæ visitationis tradent.

CLXXXI. Ad quamcumque Diœcesim prædicti Visitatores pervenerint, semper Revendissimis Dominis Ordinariis se sistent, ac humillimis precibus petant quatenus sibi liceat in domibus prædictis notitiam de statu rerum hujus Instituti accipere. Priusquam etiam ex ejusdem territorio decedant, se Reverendissimo Domino Ordinario denuo sistant, et si quid notabile emendandum occurrerit, eidem humillime indicabunt, ut, si ita placuerit, ipsemet ad ea quæ hujus Instituti propria sunt, Superiores aliosque Clericos hujus Instituti urgeat et adstringat.

CLXXXII. Conventus generalis, cui Præsides cujuscumque districtus Archidiœcesani una cum suis Œconomis, quantum possibile fuerit, interesse debent, uti etiam alii Præsides Diœcesani ab Archidiœcesano independentes, ac præterea ii qui Præsidi supremo à consiliis sunt, ordinarie singulis decem, vel etiam, postquam res Instituti bene ordinatæ fuerint, post plurium, etiam 20. annorum spatium habebitur, prout necessitas rationabiliter sæpius vel rarius instituendum postulaverit. Sententia conclusiva, quæ in Domino omnibus vel majori parti videbitur, penes supremum Præsidem stabit.

CLXXXIII. Idem Conventus prædicto modo fiet ad mortem supremi Præsidis, vel si ex mandato aut consensu Summi Pontificis, in casu gravis necessitatis, Præses ab Officio deponendus foret. Ordinatio autem conventus in hoc casu præcipue ad Asssistentem ejusdem Præsidis in spiritualibus pertinebit, donec in eodem Conventu alius Præses debite electus fuerit, et si in alma Urbe Conventus habeatur, à Summo Pontifice confir-

matus fuerit; ex quo tempore continuatio et absolutio hujus Conventus ad ipsummet Præsidem spectabit.

CLXXXIV. Ad sinceriorem omnium causarum et necessitatum in conventibus propositionem relationemque obtinendam, præter Superiores, ex districtibus singulis saltem duo, verbi gratia, ex quovis districtu Decanali duo Parochi ad Conventum Diœcesanum; ex Diœcesi duo Decanalium districtuum Superiores ad Conventum alicujus districtus Archidiœcesani; ex districtu Archidiœcesano duo Præsides Diœcesani ad Conventum generalem destinabuntur; qui, prudentia et pietate præstantes, non solum actorum, verum etiam status in quo singula loca subsistant aut deficiant, uti et conversationis ipsorum Superiorum, testes et arbitri erunt.

CLXXXV. Cum bona Communitatis, juxta superius dicta num. XXII, ex una in aliam Diœcesim per se transferri non possint, ideo nulla capsa totius hujus Instituti communis constitui poterit. Unde Præses Generalis non nisi particularem capsam suæ familiæ in domo sua habebit. Casu tamen quo per Patroni alicujus dispositionem toti Instituto aliquid concederetur sine ordine ad certam Diœcesim vel Archidiœcesim, Supremi Præsidis erit cum suo Œconomo curam hujus habere, et operam dare ut pro Emeritorum domo vel Seminario Instituti proprio, pro Missionibus ad loca hæreticorum seu infidelium destinandis, pro aliis communibus Instituti necessitatibus sublevandis, vel aliter, ad satisfaciendum Benefactoris aut Patroni intentioni et voluntati, utiliter applicetur.

De Œconomo supremi Præsidis.

CLXXXVI. Ad Œconomum Supremi Præsidis, qui rerum temporalium hujus Instituti generalem et ultimam dispositionem habet, omnes causæ graviores circa prædictarum rerum ordinationes occurrentes, quæ ipsius Supremi Præsidis judicio ac

decisione discutiendæ ac determinandæ videntur, ex omnibus locis sive particularibus Diœcesibus deferentur; cujus ultimæ dispositioni, quæ à supremo Præside semper derivabitur, omnes per obediendiam acquiescent. Generalem quoque calculum et notitiam rerum temporalium totius Instituti habebit.

CLXXXVII. Finaliter hujus Instituti directiva Superioritas, ab infimo ejusdem gradu usque ad supremum Præsidem, illi Majestativæ Superioritati quæ in foro Ecclesiastico est non solum non præjudicat, sed potius subservit ac famulatur, eidemque subordinata semper obedit; dum, ex una parte, totum hoc Clericale Institutum cum omnibus suis membris se primo Summo Pontifici Romano, dein secundo Reverendissimis Dominis Ordinariis eadem qua prius, imo etiam majore subjectione, per obedientiam et inviolatum erga Jurisdictionem Ordinariam respectum in foro Ecclesiastico penitus submittit; ex altera parte tertio per paternam et Œconomicam hujus Instituti directionem, Clerus sæcularis suavi et charitativa via (cum Constitutiones per se juxta Sacerdotum Constitutionem XLVI. sub peccato non obligent) à corruptela vitiorum et perniciosis defectibus Clericorum, præsertim Curæ animarum præpositorum, magna parte liberari, et in libertatem sanctæ conversationis in hoc sæculo, cooperantæ divina gratia, redigi poterit; et sic quarto Reverendissimis Dominis Ordinariis, tam à Superioribus quam inferioribus totius hujus Instituti membris, debita obedientia, reverentia et subjectio perfecte præstabitur.

PARS TERTIA.

PRO DIRECTIONE SACERDOTUM ALIORUMQUE CLERICORUM SENUM, ET ALIAS AD OFFICIA ET BENEFICIA ECCLESIASTICA EX QUOCUNQUE DEFECTU INHABILIUM, IN DOMIBUS EMERITORUM.

PRÆNOTATIO.

De fine, utilitate et necessitate Domum Emeritorum.

Finis quem Clericale hoc Institutum ex erectione ejusmodi domuum Emeritorum intendit, earumque multiplex utilitas quæ ad diversos exinde redundat, uti et necessitas in eo est : Prodest namque imprimis Reverendissimis Dominis Ordinariis ut Clericos suos in praxi eorum quæ ad curam animarum spectant informandos curare, et facilius in Clericali vita et honestate continere, senes quoque et alios ad curam animarum inhabiles (servata Sac. Canonum et Sac. Trident. Concilii dispositione, et attenta ex pacto mutuo inter Clericos hujus Instituti proveniente obligatione) mature ab eadem removere possint, ne, dum nescitur ubi aut unde necessaria illorum sustentatio procuranda sit, diu, non sine magno suo incommodo majoreque subditorum periculo, in ea relinquantur, postquam per senium vel alium defectum eidem amplius convenienter præesse non possunt. Prodest deinde iisdem Reverendissimis Dominis Ordinariis, vel aliis qui prædictis Clericis, cum ad Sacros Ordines promoventur, titulum mensæ tribuerunt, dum, occurrente casu quo illo alias uti deberent, communibus Instituti bonis sustententur, ipsique hoc onere eosdem sustentandi subleventur. Prodest insuper tam Clericis huic Instituto addictis, quam fidelibus maxime quorum curæ præfecti

sunt: Clericis quidem, dum illis in senio, uti et in casu quo in grave peccatum vel scandalum ex humana fragilitate lapsi forent, commodissima ipsis in se redeundi, pœnitentiam agendi, commissa peccata expiandi, et vitam serio emendandi occasio præbetur, ne diu, cum suo dedecore, totius Cleri opprobrio et magno tum Catholicorum tum acatholicorum scandalo, in publico circumvagari permittantur; fidelibus vero, dum mature a scandalis Clericorum liberantur, et loco tædiosorum senum, vel alias inhabilium Sacerdotum idoneos animarum curatores nanciscuntur. Prodest denique universali Christi Domini Nostri Ecclesiæ, ad cujus propagationem ex ejusmodi domibus, ubi supernumerarii nonnulli sustentari possunt Sacerdotes, aspirante Divina gratia, ad missiones in terras hæreticorum et infidelium, non secus ac ex Religiosorum cœtibus, viri probi, docti ac zelosi educi poterunt, quas eo promptius suscipient, quo certius norunt quod in senectute, vel alia superveniente inhabilitate post exantlatos in hujusmodi missionibus labores, rursum ad ejusmodi domum recursum habere possint. Nec adeo magna erit in erigendis et instruendis fundandisque ejusmodi domibus difficultas, cum in quavis Archidiœcesi, vel saltem ampliore Diœcesi, non nisi una talis Domus sit necessaria, ad quam erigendam et necessariis rebus instruendam omnes huic Instituto addicti Clerici pro facultatum suarum modo concurrent. Itaque bona Ecclasiastica, congruæ sustentationi suæ superflua, quæ alias in pios usus expendere deberent, in hunc determinatum pium valdeque clericali vitæ convenientem usum præ cœteris expendent ac relinquent, idque in ea Provincia ubi fuerunt acquisita. Sperari quoque potest fore ut Deus aliorum quoque patronorum animos subinde excitet ad hanc piam, totique Ecclesiæ Dei utilem intentionem in opus redigendam.

Quænam personæ et ob quem finem recipiendæ sint ad Emeritorum domos?

I. Ut, post exantlatos vitæ activæ labores, Sacerdotes senio confecti sine molestia seorsim vitam quietam vivere et cursum suum in sanctitate feliciter consummare valeant, in quavis Archidiœcesi, vel etiam ampliore quadam Diœcesi, domus aliqua omnibus tam corporalibus quam spiritualibus vitæ subsidiis probe instructa erigatur et fundetur.

II. Ad hanc domum primo recipiantur Emeriti, sive senes Sacerdotes, qui in illa Archidiœcesi vel Diœcesi, post multas vitæ activæ impensas operas, reliquum vitæ tempus in majore tranquillitate et vitæ contemplativæ exercitationibus transigere constanter desideraverint.

III. Secundo, si quos corpore vel animo ad obeunda munia Ecclesiastica ob Canonicum aliquod impedimentum ex quocunque casu contractum inhabiles reddi contigerit, recipiantur pariter in domum Emeritorum, ubi ipsis in charitate omnia vitæ necessaria usque ad vitæ finem subministrentur.

IV. Tertio, si quis Sacerdotum, vilescentibus sibi omnibus quæ in mundo sunt, vehementiore Spiritus Sancti impulsu ad vitæ contemplativæ exercitationes quodammodo rapi videatur, Superiores, probato illius spiritu, cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii, permittere illi poterunt ut in Domo Emeritorum libere ejusmodi exercitiis vitæ contemplativæ totum se dedere possit.

V. Quarto, qui foris educati et adulti hoc Clericale Institutum amplecti voluerint, in eamdem domum recipientur, donec, eorum vocatione sufficienter explorata, juramentum quatuor punctorum substantialium ad manus Superiorum faciant.

VI. Quinto supernumerarii Sacerdotes, recenterque ordinati, et exules, in hac domo eo usque commorentur, donec pro iis vacans

aliquod beneficium vel alia occasio eos ad curam animarum applicandi emerserit.

VII. In hac Domo delinquentes pœnitentiam statutam a Superioribus, vel (si delictum sit publicum, aut alias ejus qualitas postulare videatur) ab ipsismet Reverendissimis Dominis locorum Ordinariis dictatam, juxta eorumdem ordinationem agant, donec eorum vulnera spiritualia sanentur. Seorsim etiam in eadem Domo Sacerdotes incorrigibiles in custodia perpetua asserventur, donec in pœnitentia vitam suam finiant, vel sinceram ac constantem emendationem per talia signa præ se ferant, ut sine propinquo relapsus periculo prudente Superiorum judicio inde dimitti posse videantur.

De ordinatione, et dispositione domuum Emeritorum.

VIII. Ante omnia circumspicient Superiores hujus Instituti ut dictæ domus Emeritorum in loco tuto, sano, et ab hominibus remoto erigantur. Medicus etiam ibidem resideat, aut saltem in vicinia ad manum commode haberi possit. Ad formam domorum instituendæ juventutis in tres contignationes distinguantur, in quarum prima defectuosi, in secunda animo corporeque valentes, et denique in tertia pœnitentes et incorrigibiles seorsim accommodentur.

IX. In Instructione conclavium pro habitatione singulis deputandorum duo extrema diligenter vitanda sunt. Prius est ne quid necessarium in illis desit, posterius ne quid in iisdem sit superfluum. Quæ necessaria sunt, munda sint, et pulchro ordine suis quæque locis disposita, idque quoad fieri potest uniformiter; videlicet mensa, aliquot sedilia, pluteus, atramentarium, et reliqua ad scribendum requisita, scabellum ad meditandum et alias devotiones flexis genibus exercendas, in cujus medio sit imago Christi Crucifixi, cum alia quadam Beatissimæ Virginis imagine, vasculum pro frigida, mantile, et vasculum pro aqua lustrali.

X. Porro in unoquoque loco Oratorium domesticum constitui debet, in quo consuetæ preces ordinate persolvantur. In hoc Oratorio Altare aliquod Beatæ Virginis Mariæ cum Imagine Crucifixi et aliis ornamentis fiat, quibus mens ad majorem devotionem per Dei gratiam excitari valeat. Subsellia quoque fiant, quibus humana fragilitas inflectendo aut sedendo sufficienter sublevetur.

XI. Refectorium mundum sit, et exornetur piis imaginibus inter quas præcipua ultima Cœna Domini existat. Sit ibidem cathedra pro lectione ad mensam. Cubicula infirmorum a communi dormitorio separata juxta Oratorium domesticum constituantur, ex quibus infirmi Sacrum et confratrum suorum consuetas preces audire possint, in quem finem parietes per ferreos Cancellos prospectum aperiant.

XII. Dormitoria denique, ob multas rationabiles causas et commoditates, ubique locorum, quantum fieri potest, a conclavibus singulorum in quibus de die habitant separata erunt. In quavis ejusmodi domo sit horologium domesticum cum turricula, et campana supra domum pro signis ad exercitia spiritualia dandis.

De fundatione domuum Emeritorum, deque cura bonorum temporalium ad easdem pertinentium.

XIII. Fundatio pro Domo Emeritorum in quavis Archidiœcesi vel ampliore diœcesi haberi poterit ex collatione bonorum juxta Constitutionem XIX. Sacerdotum, uti et ope piisque legatis patronorum. Regulariter observari poterit ut media pars prædictorum bonorum applicetur ad domos Emeritorum, et altera media pars ad domos juventutis, ita tamen ut aliis necessariis expensis faciendis pariter satisfiat.

XIV. Cura bonorum temporalium in prædictis domibus ad Œconomos spectabit, quorum unus in quavis Archidiœcesi, uti etiam Diœcesi, penes Præsidem residebit. Iidem Œconomi in

fundatione ejusmodi domorum provide attendant ut bona temporalia debita humana securitate conserventur, et ad usus necessarios expendantur.

XV. Quoad legata aliaque a Patronis oblata eorumdem mens observanda erit. Unde ea quæ præcise ad domos Emeritorum dantur, ad easdem et non aliter applicentur; quæ vero ad domos juventutis sub eadem conditione assignantur, pro iisdem applicentur; quæ autem indifferenter ad bonum Cleri huic Instituto assignantur, juxta prudentem Superiorum dispositionem applicanda erunt.

XVI. Tam in fundatione domorum instituendæ juventutis ex mediis Communitatis, quam Emeritorum, expresse dominium et omnis dispositio huic Instituto illiusque Superioribus reservetur, ut quandoquidem in beneficiis continuam successionem (nisi forte ex speciali gratia Patronorum) non habeant, saltem in prædictis domibus Institutum stabiliter subsistere possit: et proinde merito Instituti hujus Clerici et Sacerdotes in dispositione circa bona sua temporalia præcipuam harum domuum debite fundandarum rationem habere debeant. Facta autem semel sufficiente prædictarum domorum in aliqua Archidiœcesi vel Diœcesi fundatione, ea quæ superesse contigerit, in alios pios et tam Clericali huic Instituto, quam ipsimet Archidiœcesi vel Diœcesi in qua versantur, proficuos usus expendantur, ut et Cura animarum melius geratur, et ea quæ Institutum hoc præscribit commodius in praxim redigantur, prout in Domino visum fuerit.

Quinam Superiores in Domibus Emeritorum esse debeant, et quodnam eorum sit officium.

XVII. In Domo Emeritorum non solum Præses Archidiœcesanus (aut, si in Diœcesi quadam ejusmodi domus sit, Præses Diœcesanus) extra visitationem tanquam in proprio suo domicilio habitabit, verum etiam plures viros prudentes ibidem secum ha-

beat, quorum consilio in directione sua et in faciendis dispositionibus suis, saltem quæ majoris momenti esse videbuntur, semper utatur.

XVIII. Ad eumdem Præsidem spectabit circa personas senum, infirmorum, inhabilium, et eorum qui graviter deliquerunt, provide in Domino disponere. Quod si Præses Archidiœcesanus vel Diœcesanus in officio Reverendissimi Archiepiscopi vel Reverendissimi Domini Episcopi sit, in ejusdem Civitate principali, vel ubi ejusmodi officium requisiverit, cum aliquot viris prudentibus residebit, et quidem in Domo Emeritorum, si quæ in eo loco sit, si vero ejusmodi Domus ibi non sit, extra illam tali loco, quoad fieri poterit, habitabit, ut prudentes quosdam Viros Seniores, qui hujus Instituti Constitutiones et scopum callent, secum habere, et per litteras consulere possit.

XIX. Superiores qui immediatam directionem domuum Emeritorum habent, erunt : Primo, in quavis Domo, Superior sub titulo Regentis sive Directoris, qui non solum ætate, verum magis prudentia, discretione, patientia, humilitate, gravitate et sollicitudine charitatis Jesu Christi maxime inter omnes eminere conspiciatur, qui legem amoris fraterni regalem exacte implere, et omnia omnibus fieri noverit ;

XX. Secundo, ex Senioribus Domus unus Pater Spiritualis constituatur, qui recenter ordinatos Sacerdotes exerceat, et curam eorum Sacerdotum gerat qui a Præside suscepti sunt, ut in rebus Instituti ibidem informentur. Præterea ex Senioribus præficiatur pro pœnitentibus, qui, verbo et exemplo potens, pœnitentes et incorrigibiles Sacerdotes pro tempore ibidem manentes omnibus modis ad meliorem frugem et in viam salutis æternæ reducere ex professo studeat.

XXI. Denique ex iisdem senibus quidam ad hoc idoneus pro excipiendis Confessionibus deputetur, qui ordinarie omnium qui

in tali domo sunt Confessarius existat. Directori domus adjungatur persona qualificata quæ Œconomiam administret, ratiocinium super annuos redditus faciat, omniaque necessaria ad culinam, cellam et pro universa Domo, secundum voluntatem directoris, sollicita fidelitate dispenset.

XXII. Singularem Superiores in hisce domibus infirmorum curam gerant, et ut idem a domesticis fiat sedulo curabunt. In hunc finem informentur qualiter infirmis in charitate, mansuetudine et patientia inserviant, et ministerium Marthæ impleant. Nemo verbo, facto, aut vultu torvo illis, ut a manu Dei tactis et afflictis, alteram addat afflictionem. Defectuosis et infirmis cibus ac potus singulis dispensetur, prout, consilio medici, bonum et salutare omnibus visum fuerit. Qui animo et corpore valentes ad refectorium accedere poterunt, una communi mensa fruantur. Defectuosis necessaria ad uniuscujusque cubiculum proprium porrigantur.

XXIII. Tam ministerium culinæ quam reliquæ domus idoneis famulis (si fieri possit iis qui ad dies vitæ in cœlibatu cum hisce Clericis vivere desiderant) committatur; talis vero ordinatio domesticorum, tam pro culina quam pro ministerio domus et defectuosorum famulitio, fieri debet, qualem prudens Superiorum judicium necessarium judicabit.

De Conversatione Sacerdotum et eorum qui habitant in domo Emeritorum.

XXIV. Sacerdotes Emeriti ad solidam omnium virtutum perfectionem pro viribus conentur, ut pote qui temporalibus curis aliisque negotiis liberati, majorem facultatem habent ad omnimodam vitæ integritatem incumbendi. Quamobrem viam veræ perfectionis ac christianarum virtutum, quæ hominem nostrum tam interiorem quam exteriorem perficiunt, studiose omnes et singuli teneant.

XXV. Præcipue vero se perficiant in studio trium virtutum theologicarum, in Christiana pietate erga Christum, Deiparam et omnes Sanctos, in ardore animi ad Divina, in puritate intentionis, in studio solidarum virtutum, in Christiana humilitate et simplicitate, in prudentia, in scientia practica et discretiva boni et mali in agendo, in spiritu cœlestium consolationum et oppositarum desolationum ac tentationum, in principiis et regulis discretionis, quibus informamur contra nequitias concupiscentiæ carnis.

XXVI. Eum exercitiorum spiritualium cursum, qui in stationibus omnibus huic vitæ Clericali addictis præscriptus est, omnes et singuli, quantum per vires licet, diligenter observent, ut scilicet mane statuta hora surgant, preces matutinas cum examine conscientiæ simul persolvant, iisque finitis, saltem per mediam horam sacræ meditationi vacent.

XXVII. Tempus reliquum post meditationem usque ad quadrantem ante prandium recitationi horarum Canonicarum, celebrationi missæ, rerum cælestium contemplationi, Sacræ Scripturæ et spiritualium librorum lectioni, aliique piæ occupationi, secundum cujusque talentum et superiorum directionem, singuli utiliter impendant.

XXVIII. Uno quadrante ante prandium, litanias omnium Sanctorum cum aliis consuetis juxta stationes persolvant; tempore prandii uti et cœnæ lectio sacra habeatur; post refectionem per duas horas circiter tempus indifferens relinquitur : postea, pro varietate personarum, rursum seriæ utilesque magis occupationes juxta eorumdem superiorum ordinationem resumentur; hora tertia post meridiem recitentur Vesperæ cum Completorio; una hora ante cœnam, vel paulo prius recitetur Matutinum cum laudibus pro die sequenti; ultimo deinde quadrante ante cœnam fiat præparatio pro meditatione sequentis diei; una hora post cœnam recitabunt Rosarium, cui subjungent examen conscientiæ eo modo quo in stationibus præscribitur.

XXIX. Circa infirmos observetur quod de charitate et discretione iisdem exhibenda supra ordinatum est : cui hic addendum quod, sicut tria sunt genera infirmorum, ita tribus quoque modis sublevari debeant. Sunt enim infirmi primo qui debilem complexionem, aut ab ipsa natura, aut ex accidente alio habentes, charitativa cura et indulgentia discretionis indigent ; sunt secundo alii infirmi qui multis passionibus laborantes a superioribus et aliis prudenter supportari debent ; tertio sunt qui vere morbo aliquo decumbentes cura corporali charitativa opus habent. His omnibus charitativa compassione et rationabili obsequio, secundum cujusque præsentem necessitatem, succurrendum esse charitas Christi requirit. Insuper omnis humanitas possibilis hujusmodi infirmis et debilibus exhibenda est, ut qui flagallati sunt à Domino (quia corpore infirmi sunt) a nobis in charitate Christi subleventur.

XXX. Si qui superiorum judicio habiles fuerint, applicentur ad Sacræ Scripturæ interpretationem, ut sapidiorem genuini sensus nucleum inde eruentes et breviter annotantes, concionatoribus quasi officinam efficaciorum materiarum ad convertendos peccatores et hæreticos ad manum porrigant. Inferioris intelligentiæ Sacerdotes in conficiendis munusculis catechistarum, aliisque similibus, pro cujusque capacitate, honeste occupentur.

XXXI. Etsi sacerdotes in ejusmodi domo commorantes curam animarum, ob senium vel alias causas, ordinarie non sint habituri, pro necessitate tamen locorum ad audiendas confessiones (in Ecclesia propria, vel in subsidium Parochorum in vicinia habitantium, pro exigentia temporum) exponantur ii quos, ab Ordinariis approbatos, superiores habiliores judicaverint. Similiter occupabuntur in sermonibus familiaribus ad populum, in instituendis piis Oratoriis, per septimanam aliquoties in informandis Sacerdotibus et Clericis circa ritus et ceremonias Ecclesiasticas una cum exercitiis spiritualibus, in missio-

nibus ad pagos, et oppida, ubi juxta circumstantias locorum id requiritur ad nutum Reverendissimorum Ordinariorum, et in aliis similibus piis exercitationibus. Circa alia observabunt Constitutiones quæ pro Clericis in communi præscriptæ sunt.

De Sacerdotibus aliisque post studia sua absoluta ad hoc Institutum suscipi desiderantibus in domo Emeritorum ad tempus bene erudiendis.

XXXII. In eadem Domo Emeritorum ad tempus aliquod erunt Sacerdotes illi qui Instituto huic associari desiderant, donec scilicet in principiis Spiritualibus et aliis in hac Clericali vita observandis sufficienter instructi fuerint, norintque modum meditandi, per examen conscientiæ sese recolligendi, et alia ad profectum in spiritu necessaria.

XXXIII. Per ordinem quotidie, certa determinata hora, instruantur circa diurnum cursum precum et aliarum exercitationum spiritalium, videlicet quas preces et qua intentione quotidie Clerici persolvere teneantur.

XXXIV. In his sufficienter exercitati, ad exercitium sacræ quotidianæ meditationis tam speculative quam practice addiscendum inducantur, ad eum fere modum qui pro Institutione Juventutis est præscriptus.

XXXV. Præterea per ordinem de Constitutionibus circa temperantiam, cohabitationem socialem Clericorum, communitatem bonorum, separationem mulierum, et denique circa alia hujus Instituti puncta informentur, quantum omnibus communiter scire fuerit necessarium.

XXXVI. Denique eorum tam homo interior quam exterior in exercitio virtutum tam speculative quam practice instituatur, quomodo videlicet virtutes Christianas exercere et passiones mortificare, qua item discretione exterius cum hominibus conversari debeant.

XXXVII. Præcipue tamen exerceantur in humilitate, patientia, et propriæ voluntatis bonorumque temporalium abnegatione. Ultimo mense fiat brevis prædictorum recapitulatio, qua finita constantem voluntatem habentes ad exercitia spiritualia inducantur, et postmodum ad juramentum quatuor substantialium admittantur.

XXXVIII. Toto probationis tempore cursum quotidianum cum senioribus observabunt, et insuper singulis septimanis bis, die videlicet jovis et sabbathi confitebuntur; die vero Dominica et præcipuis festis ad accipiendum robur animæ Sacra Sinaxi reficientur. Ut assuescant in reliqua vita sua ordinaria cibi potusque dispensatione esse contenti, regulariter, nisi ægrotent, extra tempus prandii et cœnæ abstineant.

Quomodo delinquentes in domo Emeritorum accommodandi ac tractandi sint.

XXXIX. In superiori contignatione domus Emeritorum pro Clericis et Sacerdotibus graviter delinquentibus aut incorrigibilibus separetur locus, et in aliquot cubicula interdistinguatur, ita tamen ne emeritis Sacerdotibus molestia et incommodum causetur. Eorum fenestræ ferreis clathris bene muniantur. Januæ clausuram ad prohibendum exitum habeant, ad quem solus superior claves sibi retinebit: medium januæ ad deferendos cibos aliaque necessaria sic accommodetur, ut possit occludi.

XL. Ad honestatem Clericalem salvam conservandam et veram charitatem ostendendam, etiam discoli in domo Emeritorum mediocri victu sustententur; lecto quoque et alio necessario vestitu, quantum pœnitenti ad conservandam corporis munditiem concedi potest, non priventur.

XLI. Cursum quotidianorum exercitiorum spiritualium omni-

bus hujus Instituti Clericis communem quotidie pro se persolvant : reliquum tempus in consideratione et seria detestatione peccatorum suorum, librorum lectione, et voluntaria ejusmodi exercitiorum susceptione quæ tum ad expienda peccata, tum ad extirpanda vitia præcipue conducant, pie utiliterque transigant. Capella domestica sic approximata eorum habitationi pateat, ut omnes quotidie per cancellos prospicientes audire sacrum valeant.

XLII. Pater eorum spiritualis frequenter eos sermonibus exhortetur ad patientiam in subeunda statuta pœnitentia, consoletur pusillanimes, puniat delinquentes, compescat insolentes. singulis octo diebus confiteantur et communicent, quod præcipuis anni diebus festis similiter ipsis permittatur, dummodo digni ad hoc inveniantur.

XLIII. Nemo ad ipsorum colloquium ordinarie admittatur nisi Pater Spiritualis et Superior, quosque admittere eidem Superiori in Domino visum fuerit. In morbis eorum cura habeatur, eademque charitas exibeatur quæ superius pro aliis Clericis infirmis fuit instituta : similiter tractentur mortui, si pie in Domino obierint.

XLIV. Quod si quis solidis argumentis veram emendationem præ se tulerit, sufficientemque pœnitentiam super peccata perpetrata egerit, superior, pro sua discretione, cum præscitu et consensu Reverendissimi Ordinarii, eum liberabit, et cum senioribus vitam degere permittet, si alio utiliter et secure et absque scandalo destinari non possit.

STATIONES

QUOTIDIANORUM EXERCITIORUM SPIRITUALIUM

OMNIBUS HUIC VITÆ ADDICTIS COMMUNES.

STATIO MATUTINA.

I. Mane omnes et singuli statuta hora e lecto surgant: et, facto signo S. Crucis, inter induendum serio recogitent quod creati sint ut Creatori suo in hac vita serviant, et per hoc ipsum servitium salvi fiant. Ex hac cogitatione quemdam vehementem in voluntate impulsum excitantes, die illo ac in omni vita DEO servire, ad ipsiusque Majestatis majorem gloriam omnes suas cogitationes, verba et opera unice dirigere; consequenter peccatum tanquam summum hominis malum fugere firmissime proponant,

II. Porro vestiti ad abluendum corpus accedant, et sub lotione vultus puritatem cogitationum ac mentis; sub lotione oris prudentiam et verborum rectitudinem; et denique sub lotione manuum sanctitatem operum suorum à DEO exposcant.

III. Uno quadrante sic impenso, flexis genibus ante Altare domesticum clara voce Litanias Lauretanas, una cum adjunctis S. Matris et S. Josephi collectis, devote recitent. Addatur etiam cum suis versiculis et responsoriis Oratio pro loci Ordinario quæ incipit: *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus;* (idem fiat meridie post Litanias omnium Sanctorum, et noctu post psalmum De profundis). Tum, ad matutini examinis

finem, ter Pater et Ave in secreto subjungant; quibus finitis, ad lectionem spiritualem, vel meditationem singuli accedant.

De intentione dictarum Litaniarum.

IV. Has Litanias Lauretanas in dilectionis tesseram ex filiali affectu erga suam Matrem Sanctam MARIAM Virginem quotidie recitent, unice ab eadem flagitantes ut nos filios suos in hora mortis, cum comite et Sponso suo suavissimo Josepho, materne velit protegere.

De examine matutino.

V. In examine matutino super malignitate noctis inquirant : primo, quomodo præterita nocte conscientiam examinaverint et preces suas compleverint; in quibus cogitationibus et desideriis dormitum iverint; quomodo noctem exegerint, et se mane usque ad examen gesserint: Secundo, præter culpas quas de præsenti in se repererint, omnia totius vitæ peccata conceptu quodam collectivo ac generali ante oculos divinæ Majestatis, ingratitudinem propriam intime agnoscentes, statuant; atque, de iisdem dolentes, humillime se in abyssum misericordiæ DEI et meritorum Christi, per actus Fidei, Spei et Charitatis projiciant : Tertio, firmissime in genere omnia peccata mortalia et venialia de præsenti die per divinam gratiam prorsus evitare proponant; in specie vero, contra proprias passiones suas certumque vitium extirpandum animum obfirment.

De exercitio trium Pater et Ave.

VI. Tria denique Pater et Ave in honorem Sanctissimæ Trinitatis persolvent : Per Jesum et Mariam trium virtutum Theologicarum incrementum, item cogitationum, verborum, et operum suorum rectitudinem, perfectionemque desiderent : insuper proportionatum medium, triplici hac nostra operatione

ordinate semper utendi, scilicet lumen, gratiam et benedictionem supernaturalem à Deo petant : quorum beneficio, sciant per illuminationem quid in omni re Creatori suo acceptum sit; moveantur etiam per Gratiæ excitationem ad eadem facienda, et denique moti, ita afficiantur per supernaturalem benedictionem ut operentur bonum.

STATIO MERIDIANA.

VII. Postea, uno quadrante horæ ante mensam recollectioni spiritus insistant, et in hunc finem simul omnes Litanias de omnibus Sanctis, una cum earum collecta, recitabunt, easque, prævio examine meridiano, dictis submissa voce septem *Pater* et *Ave* concludent.

De intentione dictarum Litaniarum de omnibus Sanctis.

VIIII. Præfatis Litaniis non solum suos Patronos, sed etiam omnes Sanctos, veluti singulares Dei amicos et advocatos amantissimos, pio affectu honorent et invocent; ut à Christo Jesu Rege suo veram charitatem fraternam unitatisque vinculum adamantinum huic statui Clericorum sæcularium impetrare velint, quo in hac vita clericali usque ad finem mundi, in debita compage pacis et dilectionis, ad suam et aliorum æternam salutem mutuo conserventur.

De examine meridiano.

IX. In hoc Examine recollectionem mentis seriam instituant, et super decursum medii diei sedulo inquirant quam conformiter vel difformiter matutinis suis propositis fuerint operati; vel quibus delictis à præfixo sibi scopo divini servitii aberraverint, et si per divinam gratiam bene in stadio se cucurrisse invenerint, glorificent Deum, lætantesque spiritu similiter reliquum diei cursum consumere proponant. Quod si vero defectus quos-

cumque repererint, eorum occasiones indagent, et contrito corde firmiter ad opposita virtutes animum assumant.

X. Denique septem *Pater* et *Ave* sic persolvant, ut unicuique *Pater noster* sua petitio (prout ordine in oratione Dominica comprehenduntur, et paulo post fusius explicantur) correspondeat: idem fiat in septem *Ave Maria*, per Matrem Dei a Filio suo postulando septem dona Spiritus Sancti, prout ad hanc vocationem Clericalem et ad lucrandas animas necessaria sunt.

Explicatio septem petitionum Orationis Dominicæ, cum earumdem applicatione ad supradicta septem *Pater noster*.

1a PETITIO. — *Sanctificetur nomen tuum.*

XI. In primo *Pater noster* mentem ad DEUM Patrem suum in cœlis residentem elevent; et, per memoriam innumerorum beneficiorum quæ unicuique et toti orbi benignissimus Pater in creatione, conservatione et gubernatione exhibuit et quotidie exhibet, filialem quemdam affectum excitent, intime humillimeque desiderantes ut primo a se ipsis, deinde a toto Clero nostro sæculari, et denique ab omnibus creaturis DEO Creatori suo omnis gloria deferatur, quemadmodum in cœlis per illam unanimem vocem a tota curia cœlesti in æternum Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamatur.

2a PETITIO. — *Adveniat regnum tuum.*

XII. In secundo *Pater noster* præsentiæ DEI, quam sibi prius efformarunt, insistentes, se ad Verbum DEI Incarnatum convertant; itidemque, per memoriam ingentium beneficiorum quæ ipsis totique generi humano per redemptionem misericordissimus Salvator contulit, ad majorem quemdam amoris affectum mentem suam erigant, toto desiderio intime cupientes ut primo a se ipsis, tum a toto Clero nostro sæculari omnique genere humano fidelissime huic Filio DEI, amantissimo Salvatori, serviatur, et in no-

mine ejus omne genu flectatur, consequenter idem Salvator omnes homines, propter quorum salutem descendit de cœlis, hic in terris et ibi in cœlis sibi regnum facere benignissime dignetur.

3a PETITIO. — *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.*

XIII. In tertio *Pater noster*, ad Spiritum Sanctum conversi, per memoriam beneficiorum quæ tam in sanctificantis quam actualis gratiæ et aliorum beneficiorum dispensatione specialiter unicuique et toti mundo abundantissime præstitit et adhuc præstat, majore nisu ad amorem voluntatem suam inflammantes ardentissime desiderent ut hic Spiritus amantissimus, verus DEUS, ab omnibus super omnia diligatur, et sanctissima ejus voluntas, cum sit ineffabiliter bona, in cœlo et in terra impleatur; cujus directioni sanctæ in omnibus conformari dulcissimum est. Et his tribus petitionibus DEO, ob proprietatem personarum et appropriationem beneficiorum, gloria, servitium et amor præstari a nobis desideratur.

4a PETITIO. — *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

XIV. Verum, quia secundum Apostolum Paulum non sumus sufficientes ex nobis aliquid cogitare, et tribus illis prædictis titulis divinæ Majestati, sine ejusdem nova gratia, satisfacere ; ideo in quarto *Pater noster* non solum corporalem, sed magis etiam spiritualem panem, scilicet actualem gratiam ad Dei servitium necessariam postulent : ad quam facilius obtinendam, more cujusdam mendici qui cum ollula ad divitis fores stare solet, in conspectu Sanctissimæ Trinitatis penitus humiliati se sistant, et ostendendo insufficientiam suam, mediantibus omnibus Sanctis, in vas suum inane, quod est anima, donari sibi a Deo efficacem gratiam exposcant, qua Ipsi per decursum diei dignum servitium præstetur.

5a PETITIO. — *Et dimitte nobis debita nostra, etc.*

XV. Cum vero Scriptura dicat, nimiumque constet, nos omnes quotidie in multis offendere, quibus triplicem illum titulum divinæ Majestati debitum per neglectum laudis, per transgressionem legis, et denique per teporem charitatis lædimus; in quinto *Pater noster* quotidianorum defectuum veniam deprecantes, intime a DEO postulent ut in nullo peccato mortali ab ipso finaliter deserantur. Hinc, instar alicujus leprosi qui in via jacet et miseriam suam viatoribus monstrat, sua peccata et imperfectiones summo Sacerdoti JESU Christo humillimis lacrymis ostendant, firmissime secum statuentes omnibus injuriis per alios sibi illatis semper ignoscere.

6a PETITIO. — *Et ne nos inducas in tentationem.*

XVI. Penultimo, cum vita hominis sit militia super terram, viamque cœli hostes sævissimi, mundus scilicet, caro et diabolus perpetua obsidione infestent, quorum insidiis tot millia millium ad inferos tanquam spolia rapiuntur, neque ignoremus nobis etiam insidias esse paratas ad ruinam; ideo, timentes DEUM, in visceribus suis ab eo humillime petant ut tentationes benignissime avertere dignetur, ne in eas inducantur in quibus peccarent, aut finaliter perirent. Hinc, in conspectu DEI omniumque Sanctorum, in comparatione suorum hostium se tanquam parvulos contra mille gigantes æstimabunt.

7a PETITIO. — *Sed libera nos a malo.*

XVII. Ultimo, quia nemo coronabitur nisi qui legitime certaverit, in septimo *Pater noster* ad calicem tentationum heroice se Patri cœlesti offerentes, victoriam finalem, et tam liberationem a peccatis quam damnatione æterna vehementissime postulent, desiderantes a malo æterno liberari. Et hæ quatuor petitiones ad tres primas, tanquam media ad finem, ordinatæ esse cernuntur.

XVIII. Quantum ad septem *Ave Maria:* in primo, donum timoris Domini petant. In secundo, donum fortitudinis in arduis et adversis. In tertio, donum scientiæ, cujus beneficio sciant quid DEO suo in omni re sit acceptum, simulque nequitias spirituales mundi, carnis et diaboli in cœlestibus dignoscant; quibus debita prudentia præmuniti, congrue occurrere, et, discernentes bonum a malo, in bono malum vincere possint. In quarto, donum pietatis. In quinto donum consilii. In sexto, donum intellectus, ad intelligendum, contemplandum, atque interpretandum sacras Scripturas. In septimo denique, donum sapientiæ et libertatis Filiorum DEI, qua omnes suas cogitationes, verba et actiones semper recte instituere noverint.

STATIO NOCTURNA.

XIX. Vesperi, priusquam cubitum ibunt, ad recollectionem spiritus omnes revertantur, gratias agentes DEO pro beneficiis quæ per decursum diei in nos contulit. In hunc finem unam partem Psalterii Beatæ Virginis Mariæ, et psalmum *De profundis,* una cum duabus collectis (modo infra tradendo) comprecentur; quibus nocturnum examen conscientiæ et quinque *Pater* et *Ave* adjungent.

MODUS RECITANDI PSALTERIUM BEATÆ VIRGINIS MARIÆ PER HEBDOMADEM.

De exercitio primæ partis Psalterii beatæ Virginis Mariæ ad dies Lunæ et Jovis Ordinato.

XX. Cum fides sit fundamentum reliquarum virtutum, Psalterium à Symbolo Apostolorum ordiantur; sub quo mentem ad DEUM elevent, et Stationem suam spiritualem in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, Christi Domini, Beatæ Mariæ Virginis, omniumque Sanctorum instituant; ostendentes Patri Cœlesti mundum cum omnibus statibus, veluti quamdam domum leprosis

aliisque morbidis innumeris scatentem, pro quibus sunt deprecaturi.

XXI. Ut majorem efficaciam eorum petitiones apud Deum Patrem sortiantur, post symbolum Apostolorum, sicut et post singulas decades, unum *Pater noster* addant, sub quo Filium Dei Unigenitum Jesum Christum, ut pote infiniti pretii victimam in cruce et altari immolatam, Patri cœlesti offerant, cujus intuitu ad commiserationem flectatur; non enim negabit quæ per Filium ejus, in quo sibi super omnia complacuit, ad illius gloriam et animarum salutem petiverint.

XXII. Primam decadem pro errantibus in fide persolvant, deprecantes Beatam Virginem Mariam ut, per meritum et gaudium quo Filium Dei concepit, à divina bonitate impetrare velit gratiam qua convertentur. Sunt autem hujusmodi in triplici differentia: primo Pagani, Ethnici, et Athei, qui vero Deo debitam gloriam auferunt. Secundo Judæi, qui sua incredulitate Filium Dei et Sanctissimam Trinitatem blasphemant. Tertio Hæretici, qui Ecclesiam et Spiritum Sanctum contemnunt. Quæ tria genera infidelium, per gentes, populos et linguas in Sacra Scriptura notantur. Hanc injuriam quam isti Deo quotidie inferunt pensantes, vehementer divinam bonitatem, mediante Christo Domino et Beata Virgine Maria, ad miserationem perurgeant, desideria amoris et doloris diversa coram Curia cœlesti exponendo, prout unicuique præsens devotio suggesserit.

XXIII. In secunda decade pro conversione peccatorum intercedant, qui in aliquo peccato mortali existentes, imaginem Dei supernaturalem abjecerunt, servique diabolorum effecti, Creatorem suum et Dominum dereliquerunt, cum extrema ingratitudinis nota; quam dolorose secum pensent, et intima affectus teneritudine Beatæ Virgini Mariæ inexplicabilem peccatorum miseriam ostendant, unice sollicitantes quatenus, per meritum et gaudium quo Filium suum Jesum in utero Virginali portavit,

cœlestem gratiam à Deo exorare dignetur, quæ eos e statu damnationis resurgere et jugum servitii divini portare faciat.

XXIV. In tertia Decade pro imperfectis orent, et Beatæ Mariæ Virgini ostendant omnes status Ecclesiæ, humillime supplicantes ut, per meritum et gaudium quo Filium suum genuit et in lucem edidit, imperfectionibus nimiis quibus omnes status, carnali hoc sæculo quasi ad occasum vergente, redundant, remedium à Deo impetrare velit, viros scilicet perfectos qui singulos status veluti stellæ illuminent, dirigant, et ad antiquum spiritus vigorem reducant.

XXV. Quartam decadem pro sagis, maleficis et aliis obstinatis peccatoribus persolvant; considerantesque quanta ex hoc capite malorum injuria Domino Deo fiat, Beatam Virginem Mariam intenso quodam doloris affectu rogent, quatenus, per meritum et gaudium Præsentationis, hujusmodi miseras animas Filio suo ad misericordiam præsentare, et in posterum suo patrocinio impedire velit ne homines taliter seducantur.

XXVI. In quinta decade pro innocenti juventute et aliis in gratia Dei existentibus supplicent; deprecantes Matrem Christi ut, per meritum et gaudium Inventionis Jesu in templo, à Filio suo omnibus gratiam et custodiam contra lapsum in peccatum mortale impetrare dignetur, semperque Filius ejus inveniatur in suo templo, quod sunt animæ justorum.

De exercitio secundæ partis Psalterii Beatæ Virginis Mariæ, pro diebus Martis et Veneris.

XXVII. Decadem sextam pro universo statu clericali recitent, et ad pedes Matris Dei supplicibus lacrymis provoluti, ingentes hujus status miserias illi ostendant, simulque petant ut hanc nostram vitam clericalem, tanquam Domina, Magistra et Mater nostra, suo Filio unice velit commendare et contra hostes suos defendere.

XXVIII. Decadem septimam pro iis qui præsunt et pro confessariis offerant, divinam assistentiam sollicitantes, qua officia sua ad beneplacitum Dei et salutem animarum digne perficiant, vulneribusque peccatorum congrue medeantur.

XXIX. Decadem octavam pro statu Virginum et Continentium orent, rogantes Christum spinis coronatum ut, tanquam Rex Virginum, per dolorem spineæ coronæ, omnibus gratiam et custodiam suæ virginitatis et continentiæ largiri velit.

XXX. Decadem nonam pro iis qui de præsenti aut de futuro, in aliquo mundi angulo, propter fidem et justitiam tanquam Martyres patiuntur, persolvant; similiter gratiam ceteris hominibus petant, qua unusquisque crucem suam tollat, et Christum ad mortem usque patienter sequatur.

XXXI. In decima Decade non solum Imperii Romani, Regnorum et Principatuum dilacerationem; verum etiam in fide et moribus dissonantiam deplorent; humillimeque Christum Crucifixum rogent, ut omnia ad se trahere, et per humilitatem crucis superbiam et æmulationem Statuum confundere, ac pacem unitatemque benignissime impertiri dignetur.

De Exercitio Tertiæ partis Psalterii Beatæ Virginis Mariæ, pro diebus Mercurii et Sabbathi.

XXXII. In undecima decade finalem perseverantiam in bono spiritu poscant, quemadmodum David precatus est dicens : « Cor « mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visce« ribus meis. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum Sanctum « tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et « spiritu principali confirma me. »

XXXIII. In duodecima decade pro parentibus, fratribus et sororibus, propinquis et benefactoribus, pro omnibus sibi commissis et commendatis memoriam faciant; gratiam ipsis expos-

centes, qua sic transeant per bona temporalia, ut non amittant æterna.

XXXIV. In decima tertia decade, per viscera misericordiæ Dei a Christo, mediante Beata Virgine Maria, petant ne Spiritum Sanctum suum a Germania auferat, sed misericorditer a spiritibus immundis hæreticorum, falsorumque Christianorum liberet, largiendo ipsi Spiritum veritatis, sanctitatis, charitatis, Spiritum sapientiæ, unitatis, et consilii.

XXXV. In decima quarta decade supplicent Beatæ Virgini Mariæ pro morientibus, ut, per gaudium suæ gloriosæ Assumptionis, illis assistere et gratiam bene moriendi a Filio suo impetrare velit, ut post hanc vitam ab Angelis in cœlum suscipiantur.

XXXVI. In decima quinta decade pro animabus adhuc in purgatorio detentis commemorationem instituant; deprecantes Matrem Dei ut, per gaudium Coronationis suæ, miseris animabus liberationem a pœnis Purgatorii et coronam vitæ æternæ apud Filium suum sollicitare dignetur.

XXXVII. Cæterum die Dominica, antequam cubitum concedant, loco Psalterii Beatæ Virginis Mariæ, Salvatorem suum Jesum Rosariolo ex trigenta tribus *Pater noster*, et quinque *Ave Maria* constante venerentur; postulentque ab eodem gratiam, qua ad plenitudinem meritorum pervenire, et in stadio sic currere possint ut bravium vitæ æternæ apprehendant.

XXXVIII. Post Rosarium Christi Domini et Beatæ Virginis Mariæ psalmum *De profundis*, cum duabus Collectis, nempe *Deus veniæ largitor*, etc.. et *Fidelium Deus*, etc., quotidie addant; ut animæ fidelium defunctorum, maxime aliis auxiliis destitutæ, a pœnis solvantur.

De Examine nocturno.

XXXIX. In hoc Examine, veluti in speculo quodam, gressus suos retro considerent; doleantque vehementer de admissis de-

lictis, et de futuris cavere firmiter per divinam gratiam proponant.

XL. Quinque *Pater* et *Ave* pro peccatis et admissis defectibus in honorem quinque vulnerum Christi adjungant, et sensuum suorum tam internorum quam externorum puritatem petant.

XLI. Per hæc statuta exercitia quotidiana Spiritualia, ad quamdam solitudinem cordis perpetuam ac recollectionem mentis, nobis in medio turbarum viventibus summe necessariam, omnes pro viribus conentur; ad cujus consecutionem plurimum juvabit, si tam precibus jaculatoriis et divinæ præsentiæ familiaritati, quam etiam piarum stationum et personarum efflictioni (modo paulo post tradendo) circa humanas suas occupationes rite assuescant; sic ut in omnibus, salva externarum actionum libertate, conversatio eorum sit in Cœlis.

DE DIVERSIS ORANDI MODIS,

QUIBUS AD COLLECTIONEM MENTIS ET CONSERVATIONEM SPIRITUS, PRO DIVERSITATE TEMPORUM, LOCORUM, PERSONARUM ET CONVERSATIONUM, UTENTUR.

Primus orandi modus est, quo anima ex peccatis suis vel alienis mentem ad Deum elevat, agnoscendo reatum, deprecandoque veniam, et humiliando se infra omnia propter nimiam vilitatem suam. Sic oravit Manasses in captivitate sua, David et alii, quos imitari semper utiliter possumus, quando peccatorum nostrorum vel mundi in maligno positi recordamur.

Secundus orandi modus est, si anima nostra ex beneficiis et creaturis Dei ascendat ad Creatorem suum, laudando eumdem, et admirando ejusdem sapientiam et bonitatem, etc. Ita oraverunt tres pueri in camino ardenti, fuitque communis viris sanctis.

Tertius orandi modus est, quando anima interdiu in tentatio-

nibus, aut ad conservandam mentis recollectionem, inter sua negotia precatiunculis utitur : sic orare solitus fuit S. Franciscus, dicendo, *Deus meus, et omnia.*

Quartus orandi modus in eo consistit ut, circa actiones suas et res quascumque obvias, anima considerationem congruam et spiritualem ac utilem suscipiat, qua mens semper, salva functionum debita libertate, unita maneat cum suo Creatore dilecto. Ad acquirendum hunc orandi modum multum juvat bona facultas imaginativa, qua homo sibi v. g. in paupere Christum, in creatura Deum, in leproso peccatorem, in ancilla Martham, in igne infernum, in assato damnatos, in tuba judicem, etc. spiritualiter effingat.

Quintus orandi modus fit per quamdam determinatam vocum et temporum commensurationem : ut, si orem Pater noster, Ave Maria, Psalmum, Breviarium, Rosarium etc. offerendo illud tanquam verba sancta, quibus adoratur Deus in ejusdem laudem debitam (absque eo quod intelligam verba ad eaque attendam, alteri honestæ piæque considerationi intentus) vel astringendo mentem ad sensum et affectus, qui ex prolatione verborum per apprehensionem simplicem formantur, vel expendendo interim certæ alicujus vocis ac sententiæ prolatæ significationem, Personæ ad quam dirigitur oratio dignitatem, vel mei ipsius vilitatem et indigentiam.

DE MODO MEDITANDI.

Primo, qui cupit bene meditari, pridie, statuto tempore, certam sibi materiam seligere, eamque in unum, duo, vel etiam plura puncta, pro materiæ capacitate dividendo, prævidere debet aliquo modo unum vel alterum finem, quem varietas vel fæcunditas materiæ per apprehensionem quamdam simplicem solet proponere.

Secundo, in meditatione anima sui ipsius proprius concionator est, unde meditationis scopus eo tendit ut per eam homo

in aliqua veritate Christiana erudiatur et clarius illuminetur, vel instruatur in moribus, vel denique magis accendatur in charitate erga DEUM et proximum, ex dictis factisque Christi et Sanctorum ejus quæ proponuntur.

Tertio, mane statuta hora aggrediatur quis meditationem, præmissa invocatione Spiritus Sancti; et de puncto ad punctum exerceat memoriam, intellectum et voluntatem; quæ potentiæ quandoque pro opportunitate à phantasia juvantur.

Quarto, memoria profert in medium materiam paratam ad meditationem faciendam, et, cum necessitas exigit, alia, vel lecta vel audita quæ ad rem faciunt et meditationem uberiorem reddunt, congrue suggerit.

Quinto, intellectus ratiocinatur circa materiam à memoria propositam, apprehendendo, judicando, concludendo, rem unam ex alia deducendo. Ea porro circa quæ versatur operatio intellectus, in iis meditationibus quæ non pertinent ad mysteria Christi vel Sanctorum, varia sunt, pro varietate punctorum. In mysteriis solent esse personæ, verba et opera personarum, earumdemque cogitationes et affectus interni ; virtutes quoque, modus præterea et finis verborum ac operum ; item causa, effectus, tempus et reliquæ circumstantiæ, quæ faciunt ad pleniorem mysterii intelligentiam. Illud ordinarium est intellectui in omnibus cujuscumque materiæ et generis meditationibus, ut in sua ratiocinatione utatur rationibus, exemplis, et similitudinibus ex Scriptura, vel libris SS. Patrum aliorumque nobilium scriptorum desumptis, ut sic intellecta et bene perspecta veritas varia motiva proponat voluntati, donec eam vincat et ad prosecutionem vel fugam rei intellectæ prorsus adducat.

Sexto, voluntas afficitur ex iis quæ intellectus proponit, excitando in se ipsa amorem, vel odium; desiderium, vel fugam ; gaudium, vel tristitiam; spem, vel desperationem; audaciam, vel timorem ; aut item, pro varietate rerum ac motivorum quæ ab intellectu proponuntur. Dilatari autem possunt hujusmodi

affectus multis modis, v. g. admirationis, humiliationis, imitationis, laudis, obsecrationis, petitionis, prosopopeiæ, querelæ, reprehensionis, objurgationis, gratiarum actionis, etc., eosdem conformiter triplici viæ, purgativæ, illuminativæ et unitivæ, exercendo et attemperando.

Septimo, phantasia proponit loca, vultusque personarum, earumque motus, situm, magnitudinem, gravitatem, pro exigentia reliquarum trium potentiarum, ut efficacius et cum vivacitate exerceantur.

Octavo, colloquia etiam solent esse in meditatione, plura vel pauciora, in eoque consistunt ut meditans, quotiescumque suggerit affectus, in toto meditationis decursu et in ejus fine colloquatur cum Deo, Christo, vel cum B. Virgine Maria, aut cum Sanctis Angelis reliquisque Sanctis, sive gratias agendo, sive offerendo, sive petendo, sive obsecrando, sive consulendo, sive aliquid aliud agendo, pro opportunitate et exigentia meditationis et propriæ necessitatis : aliquando assumendo personam filii agentis cum patre; aliquando servi loquentis cum domino; aliquando sponsæ loquentis cum sponso; aliquando amici conversantis cum amico; aliquando rei deprecantis judicem; aliquando leprosi deprecantis suum medicum; aliquando mendici stantis ante domum divitis, etc., juxta Spiritus Sancti dictamen. Concludentur autem colloquia quæ fient in fine meditationis, vocali aliqua oratione ad eas personas quibuscum facta fuerunt colloquia.

MANIPULUS PIARUM PRECUM

ET EXERCITIORUM

AD USUM CLERICORUM SÆCULARIUM IN COMMUNE VIVENTIUM.

STATIO MATUTINA.

Mane, prima evigilantium cogitatio sit ad Deum *hâc pre-*

catiuncula : Benedicta sit Sancta, et individua Trinitas, nunc et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Dum surgunt, signent se signo sanctæ Crucis, dicantque :

In nomine Domini mei Jesu Christi surgo, qui me redemit suo pretioso sanguine; ille me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducat æternam. Amen.

Dum se vestibus induunt, finem suum ultimum recogitantes, Deo se et omnia sua offerant sequenti precatione :

O Dominus meus, Deus meus et omnia, justitia mea, bonitas mea, et misericordia mea, fiat a te ut in unione meritorum Vitæ, Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, sicuti et sub patrocinio Beatissimæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum Seraphim, Cherubim, Thronorum, Dominationum, Virtutum, Potestatum, Principatuum, Archangelorum, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum et Viduarum, omnes mei tam boni quam indifferentes cogitatus, intentiones, suspiria, vota, preces et exercitia, verba, opera, omissiones, commoda, incommoda, tentationes, angustiæ, adversitates, contemptus, irrisiones, una cum omnibus devotorum tuorum precibus, laboribus, tribulationibus et quibuscumque necessitatibus, ad majorem sanctissimi Nominis tui gloriam unice cedant : et tu tantum Deus meus agnoscaris ab omnibus, timearis, ameris, lauderis, Benedictus Deus, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Beatissimam Virginem :

O Domina mea Sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiæ tuæ, hodie et quotidie et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo : omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitæ meæ tibi committo, ut, per tuam sanctissimam intercessionem et per tua

merita, omnia mea dirigantur et disponantur eloquia, cogitationes et opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem, ad meam ac totius Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem. Amen.

Ad Sanctum Angelum Tutelarem :

Angele Dei qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege et guberna.

Vel : Angele mi custos tuæ me commendo tutelæ, cui me custodiendum Divina Bonitas commendavit. Duc quæso cæcum, ignorantem instrue, imbecillum conforta, pupillum tuere, errantem reduc, pigrum impelle, dormientem excita, gradientem promove ; et extremam illam difficilemque luctam, quæ cum morte et dæmone mihi aliquando futura est, felicem esse procura, ut in vestrum consortium anima mea, cum vicerit, recepta læte decantet : « laqueus contritus est, et nos liberati sumus. » Amen.

Ad omnes Sanctos :

Sancti Dei omnes intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Vel : Sancti et electi patroni mei. NN. et omnes Sancti, rogo vos et deprecor, subvenite mihi, miseremini mei, corrigite et erigite me misericorditer, et orate pro me instanter, ut per vos mihi detur a Deo conscientia sancta, gratia Spiritus Sancti, virtus Sacramentorum, augmentum gratiæ, virtutum Theologicarum et Cardinalium studium, conversatio honesta, vita honorabilis et consummatio laudabilis, ut ad vos pervenire merear. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dum se lavant, aspirent ad Dominum Deum, et petant puritatem cogitationum, rectudinem verborum et operum sanctitatem hac oratione :

Munda Domine cor meum ac labia mea, ut te ac tua tantum

cogitem ; et quod cor sentit interius, hoc lingua proferat exterius. Da virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis tibi servire valeam. Amen.

Ad aspersionem aquæ benedictæ : Aperge me Domine rore gratiæ tuæ et munda me a peccatis ; doleo enim quod te, quem super omnia diligo, unquam offenderim : extingue in me omnem affectum tibi adversum, ut te solum amen et glorificem in perpetuum. Amen.

Deinde ante altare domesticum flexis genibus alternatim pro felici morte recitent Litanias Lauretanas.

Post litanias : Ave Maria, etc.

Anthiphona. Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix : nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris ; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde; ut, qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Ora pro nobis Beatissime Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Addantur sequentes versiculi et responsoria cum oratione pro Ordinario loci :

℣. Salvum fac famulum tuum N. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS. Omnipotens sempiterne Deus qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum N. et super gregem ei commissum Spiritum gratiæ salutaris; et, ut in veritate tibi placeat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Nos cum prole pia. ℟. Benedicat Virgo Maria.

Hisce precibus finitis, probe se examinent sub silentio in tribus punctis : Primo, Quomodo præterita nocte, antequum cubitum concesserunt, conscientiam suam examinaverint. Secundo, Quomodo preces et exercitia compleverint; et in quibus cogitationibus atque desideriis dormitum se contulerint. Tertio, Quomodo se noctu et mane usque ad examen gesserint. Conscientia sic discussa super peccata memorata et alia totius vitæ contritionem eliciant, cum firmo proposito emendationis. Porro, actus contritionis frequenter exercendus eo modo fieri poterit :

O Amantissime JESU, doleo ex toto corde meo quod te DEUM meum, Creatorem meum, Salvatorem meum, Summum Bonum hisce peccatis meis, quæ detestor super omnia detestabilia, offenderim : ideo in abyssum misericordiæ tuæ me conjicio, et propono firmiter amplius non peccare, omnesque peccandi occasiones devitare, vel potius centies mori. Speciatim gratiam tuam invoco, qua me à tali vitio, quod Majestati tuæ in me multum displicet, potenter hac die et tota vita mea præserves, et talem

virtutem eidem contrariam misericorditer animo meo inferas. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Denique subjungant tria Pater et Ave, in honorem sanctissimæ Trinitatis, pro augmento trium virtutum Theologicarum Fidei, Spei et Charitatis, ac rectitudine cogitationum, verborum et operum, item pro lumine, gratia et benedictione supernaturali, tamquam medio ad bonum usum triplicis hujus operationis nostræ valde necessario, impetrandis.

STATIO MERIDIANA.

Uno quadrante ante corporis refectionem meridianam, redeant ad altare domesticum, et flexis genibus, clara voce, pro impetranda unitate ac charitate fraterna inter membra hujus vitæ clericalis, Litanias omnium Sanctorum recitent.

Post litanias : Pater noster.

℣. Lætamini in Domino et exultate justi. ℟. Et gloriamini omnes recti corde,

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti commemoratione venerari, quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio pro Ordinario loci, ut supra fol. 136 et 137.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Postea fit examen breve, an proposita matutina in effectum deduxerint, et ubi deviaverint; quibus deprehensis, contritionis actum eliciant, et reliquum saltem diei cursum bene consummare intendant.

Contritionis actus brevior.

O Jesu amore tui doleo quod offenderim te, quem super

omnia diligo : cupio omnia mea peccata, præsertim tale, emendare, tibique pro iis satisfacere per auxilium gratiæ tuæ. Amen.

Continuo subjungant septem *Pater* et *Ave*.

Per septem *Pater noster* recogitent septem petitiones ejus, ita ut unicuique Pater noster sua petitio correspondeat, ut supra, fol. 122, explicatum est.

Per septem Ave Maria rogent Beatissimam Virginem Matrem Dei, ut impetrare velit à dilectissimo Filio suo septem dona Spiritus Sancti, ut supra fol. 125, dictum fuit.

STATIO VESPERTINA.

Singulis diebus vesperi, ad medium sextæ, sive hora quinta cum dimidia post meridiem, adolescentes majorum classium in loco ad hoc deputato omnes conveniant, et, pro incremento gratiæ in vocatione sua Clericali, vesperas et completorium cum matutino et laudibus in diem sequentem ex officio parvo Beatæ Mariæ Virginis alternatim recitent.

Antequam cubitum eant, revertantur ad altare domesticum; et Deo pro acceptis beneficiis gratias acturi, unam partem Psalterii Beatissimæ Virginis Mariæ, et Psalmum De profundis alternatim comprecentur : quibus in silentio annectent examen nocturnum, et quinque Pater et Ave.

Modus recitandi psalterium Beatissimæ Virginis Mariæ.

Formata imprimis devote signo Sanctæ Crucis, dicitur symbolum Apostolorum seu Credo, tum *Pater noster*.

Hœc tria puncta bene notanda :

I. Sub symbolo Apostolorum, Sanctissimæ Trinitati ac toti Curiæ cœlesti mundi totius ac omnium ejus statuum necessitates et miserias ad commiserationem exhibeant.

II. Ad singulas orationes Dominicas, Deo Patri Filium ejus

unigenitum crucifixum, velut infiniti pretii victimam, ad majorem precum suarum efficaciam conciliandam offerant.

III. Sub exordio Salutationis Angelicæ in quavis decade, Beatissimam Virginem ut matrem spectent; ac mysterium in ea decade considerandum, uti et petitionem ad quam dirigitur, in memoriam sibi revocent.

In qualibet decade, cum perventum fuerit ad nomen Jesus, adjiciatur :

In Rosario Gaudioso, dicendo diebus Lunæ et Jovis;

Ad primam : Quem Virgo concepisti. Ad secundam : Quem, visitando Elisabeth, portasti. Ad tertiam : Quem virgo genuisti. Ad quartam : Quem in templo præsentasti. Ad quintam : Quem in templo invenisti.

In Rosario Doloroso, quod dicitur diebus Martis et Veneris, nomini Jesus adjiciatur :

Ad primam : Qui pro nobis sanguinem sudavit. Ad secundam : Qui pro nobis flagellatus est. Ad tertiam : Qui pro nobis spinis coronatus est. Ad quartam : Qui pro nobis crucem bajulavit. Ad quintam : Qui pro nobis crucifixus est.

In Rosario Glorioso, quod dicitur diebus Mercurii et Sabatti, ad singulas decades post nomen Jesus addatur :

Ad primam : Qui resurrexit a mortuis. Ad secundam : Qui in cœlum ascendit. Ad tertiam : Qui Spiritum Sanctum misit. Ad quartam : Qui te in cœlum assumpsit. Ad quintam : Qui te in cœlis coronavit.

Intentiones Rosarii Gaudiosi.

In decade prima : Orent pro errantibus in fide. In secunda : Pro conversione existentium in peccato mortali. In tertia : Pro imperfectis. In quarta : Pro sagis, maleficis, et aliis obstinatis

peccatoribus. In quinta : Pro innocenti juventute, et in gratia Dei existentibus.

Intentiones Rosarii Dolorosi.

In decade prima : Orent pro toto statu Clericali. In secunda : Pro iis qui præsunt, et confessariis. In tertia : Pro Virginibus, et Continentibus. In quarta : Pro iis qui ob fidem et Justitiam patiuntur. In quinta : Pro statu politico Christianæ Reipublicæ et præcipue pro S. Rom. Imperio.

Intentiones Rosarii Gloriosi.

In decade prima : Orent pre perseverantia finali in bono spiritu. In secunda : Pro consanguineis, benefactoribus et aliis sibi commissis ac commendatis. In tertia : Pro Regno natali. In quarta : Pro morientibus. In quinta : Pro animabus fidelium defunctorum.

Die vero Dominica venerentur Jesum Salvatorem suum Rosariolo triginta trium *Pater noster*, et quinque *Ave Maria*, ad impetrandam ab eodem gratiam, qua ad plenitudinem meritorum pervenire, et in stadio sic currere possint ut bravium vitæ æternæ apprehendant.

Exordium autem fiat a symbolo Apostolorum, cui subjiciantur unum *Ave Maria*, et tria *Pater noster* ; tum ante primam decadem orationum Dominicarum præcedat unum *Ave Maria* : idem etiam fiet ante reliquas duas decades.

Post Rosarium quotidianum sequitur Psalmus De profundis cum duabus collectis pro defunctis.

De profundis clamavi, etc.

℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Deus veniæ largitor et humanæ salutis amator, quæ-

sumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam semper optaverunt piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde, Oratio pro Ordinario loci, ut sup. fol. 136 et 137.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Denique fiat examen nocturnum, quod consistit in quinque punctis.

I. *Gratiarum actio pro beneficiis acceptis.* O Infinita bonitas gratiam tibi ago pro omnibus beneficiis quæ mihi hodie et tota vita mea contulisti : Tibi laus et gloria in infinitas sæculorum myriadas.

II. *Luminis petitio.* O æterna Sapientia Christe Jesu, da ut quidquid tibi hodie in me displicuit, id mihi integre in memoriam redeat.

III. *Hic suam quisque conscientiam examinet, quid singulis horis ab ultimo examine elapsis peccaverit, cogitatione, verbo et opere, et quæ peccata nondum confessus fuerit.*

IV. *Veniæ peccatorum deprecatio.* O Inexhausta misericordia, ignosce mihi, quidquid hodie peccavi coram te : ego omnes offensas hujus diei et totius vitæ meæ depono in abyssum misericordiæ tuæ, et per mortem Filii ui te deprecor, o Deus, dimitte mihi quidquid unquam in te peccavi.

V. *Emendationis propositum.* O Immensa Majestas, firmissime propono non peccare amplius.

Coronidis loco subjungantur quinque Pater et Ave, in honorem quinque vulnerum Christi, pro remissione peccatorum et puritate sensuum, tam internorum quam externorum, impetranda.

Exuentes se et cubitum secedentes, committant se Beatissimæ Virgini, sicut de die sæpius pro commoditate.

O Domina mea Sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem, etc., *ut supra fol.* 134.

Ad Sanctum Angelum Custodem :

Angele DEI, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hac nocte illumina, custodi, rege et guberna.

Vel : O Amantissime Angele DEI, qui hucusque tam fidelis custos es mei, dignare insuper hac nocte cor et corpus meum immaculatum conservare, ut tecum merear SS. Trinitatem in æternum contemplari, amare et glorificare. Amen.

Ad Sanctos Patronos et omnes Sanctos :

Vos Sancti Patroni mei, et omnes Sancti DEI, supplete vices meæ imperfectionis in benedicendo et laudando Domino meo: et impetrate mihi, meisque gratiam in ejus amore vivendi, perseverandi, moriendi, tandemque ejusdem gloria vobiscum æternum perfruendi.

Antequam lectum ingrediantur, aspergant se aqua benedicta, et dicant :

Asperge me Domine rore gratiæ tuæ, etc., *ut supra fol.* 136.

Lectum ingressuri signent se signo S. Crucis, et dicant :

Per sigum Crucis de inimicis nostris libera nos DEUS noster.

Jesus Nazerenus, Rex Judæorum, titulus triumphalis, defendat nos ab omnibus malis. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ; vicit Leo de tribu Juda, Radix David. Sancte DEUS, sancte, fortis, sancte et immortalis miserere mei.

Benedicat me imperialis Majestas, protegat me regalis Divinitas, custodiat me sempiterna Deitas, foveat me immensa divinitas, dirigat me inæstimabilis bonitas, gubernet me potentia Patris, vivificet me sapientia Filii, illuminet me virtus Spiritus Sancti. Amen.

Ex horologio P. Drexelii :

Pater æterne, per vitam et mortem Filii tui, per omnem bonitatem tuam te rogo, concede mihi ut in bono perseverem, et in gratia tua moriar. Bone Jesu, per extremas illas in cruce voces quibus Patri spiritum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ. Spiritus Sancte Deus, miserere mei, et sancta inspiratione tua me semper, et potissimum in hora mortis meæ adjuva. Sanctissima Trinitas unus Deus, miserere mei nunc et in fine vitæ meæ. Amen.

In lecto modeste compositi, et cancellatis ante pectus brachiis in modum crucis, dicant :

Da Domine, ut singulæ meæ respirationes tota hac nocte tibi laudem et gloriam exhibeant. Amen. In manus tuas Domine commendo spiritum meum. In pace in idipsum dormiam, et requiescam.

MODUS OBEUNDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

Oratio ante Examen conscientiæ.

Æterne Parens, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, peccata mea examinaturus vehementer confundor; sed tu nosti omnia, et eorum gravitatem et numerum et indignitatem habes perspectam. Tu enim scrutatis corda et renes, o Deus meus ! Rogo te humillime, ut omnia et singula per gratiam tuam possim recordari, expendere et deplorare, Concede mihi Spiritum Sanctum tuum, qui mihi eorum memoriam refricet, cogitationes et discussionem mentis meæ dirigat, et dolorem animi mei, qui peccata mea diluere possit, excitet.

Hymnus *Veni Creator*, etc.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS. DEUS qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Deinde discussio conscientiæ fiet circa peccata contra Deum, contra seipsum, contra proximum.

Antequam accedant ad confessionem, poterunt præmittere hanc orationem.

O JESU DEUS cordis mei, infinite misericors et longanimis, infinite suavis et amabilis, qui cum Patre et Spiritu Sancto multiplicas super me inæstimabiles divitias misericordiæ, longanimitatis et charitatis tuæ; qui hucusque me ingratum toties cum Petro respexisti, cum Magdalena in viam salutis reduxisti, et in sanguine tuo animam meam dealbasti; toties me prodigum filium in osculum pacis recepisti, et, infidelem licet famulum, ad intimam familiaritatem tuam invitasti: amplector, veneror et adoro te et tanta viscera misericordiæ tuæ erga me, atque omnium creaturarum affectu tibi gratias ago pro ineffabili isto æternæ tuæ dilectionis excessu, quo mihi in tot defectus quotidie labenti spatium et gratiam resipiscendi, spem veniæ, fiduciam perseverandi ac gloriam consequendi tribuisti. Utinam, o DEUS meus, te infinito amore et honore dignissimum semper amassem et glorificassem! Utinam te nunquam offendissem, nec offenderem posthac in æternum! Sed, o bonitas infinita, quid tibi retribui pro omnibus bonis quæ tribuisti mihi, præter innumeras meas offensiones, ingratitudines et negligentias? Doleo de his ac omnibus et singulis vitæ meæ peccatis ex animo, pure propter te DEUM meum infinite amabilem, quia tibi, quem diligo, æternumque diligam super

omnia, displicent : ea propono firmiter ardenterque per gratiam tuam emendare et compensare. In satisfactionem offero tibi merita omnia, labores ac dolores ipsumque sanguinem Domini mei Jesu Christi, merita Beatissimæ Virginis et Sanctorum omnium ; meque ac vitam meam, cum universis meis actionibus, quas cupio dirigere ad gloriam nominis tui, tibi devoveo. Amen.

Accedens ad confessionem, coram Sacerdote genuflexus dicat : Benedic Reverende Pater, etc.

Deinde facto signo S. Crucis recitet

Confiteor Deo omnipotenti, etc.

His dictis peccata sua integre, nullo omisso, pure, absque ulla simulatione, humiliter in conspectu Dei, distincte, cum vero emendationis affectu et animo contrito recenseat, et tandem sic concludat :

De his et omnibus aliis meis peccatis, quorum etiam non recordor, dico : mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor, etc.

Post hæc attente ac devote excipiat injunctam pœnitentiam, et admonitionem, si quam Confessarius impertiat. Denique, dum pronuntiatur absolutio, excitet Contritionem superius præscriptam.

Peracta in hunc modum Confessione, et impetrata absolutione, si injuncta pœnitentia mox persolvi potest, ne differatur, sed accurate præstetur magno devotionis affectu. Tum recitetur sequens

Oratio. Deprecor te Jesu, Salvator, bone Redemptor, qui pretiosissimo Sanguine tuo redemptus sum, ut propter carnis corruptionem non peream, neque veniam in mortem secundam, nec in terram oblivionis. Hæc vox in auribus misericordiæ tuæ sonet, ut tuam faciam voluntatem, et omnis mens mea te meditetur, in te delectetur, te sequatur, te confiteatur, qui redemisti me.

In æternum misericordia tua est, et in misericordia tua revixi

perditus peccatis, et surrexi a mortuis, quoniam segregasti me a peccatis adolescentiæ meæ; et egi pœnitentiam coram te, quia servasti mihi tempus conversionis, et, considerans peccata mea, compunctus sum. Lætus jam inde tibi nunc et semper innumeras gratias refero, quia, ut inveniam te, tu prius quæsivisti me; ut redirem ad te, tu compulisti me; ut confiterer tibi, tu es operatus; et, ut me recognoscens plangerem, tu dedisti mihi. Tu enim es misericors Dominus qui sperantes in te non confundis, requirentes non derelinquis, revertentes ad te non respuis, sed exultando et laudando suscipis, atque in æterna beatitudine, una cum sanctis et electis tuis, æternaliter regnare concedis, quia est tibi cum æterno Patre et Spiritu sancto una Deitas, gloria, virtus, imperium et potestas, in sæcula sæculorum. Amen.

MODUS SACRÆ COMMUNIS EUCHARISTICÆ.

Ante Communionem tria sunt quæ animum ad dignissimum hoc convivium pie disponunt: Primum, dolor de peccatis, sive compunctio. Secundum, desiderium sive fames spiritualis. Tertium, profunda reverentia et animi demissio.

ORATIO PIA, *continens dolorem, desiderium et animi demissionem:*

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine JESU Christe, ergo peccator, de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum; mentem et linguam non causte custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro; ad te festino sanandus; sub tuam protectionem fugio, et quem Judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus damnari timeo. Confido misericordiis et miserationibus tuis, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis miseri-

dordiæ tuæ, pie Domine Jesu Christe, Rex æterne, Deus et homo, crucifixe propter hominem. Exaudi me sperantem in te; miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fons miserationis nunquam manare cessas. Salve salutaris Victima, pro me et omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salve nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse; cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear sancta sanctorum. Et concede ut sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio; sit delictorum perfecta purgatio, bonorumque tibi placentium salubris efficacia; animæ quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Eia ergo, laudo te Deus meus et exalto te in æternum; despicio me et subjicio tibi in profundum vilitatis meæ. Ecce tu sanctus sanctorum, ego sordes peccatorum; ecce tu inclinas te ad me, qui non sum dignus vel te respicere; et tamen tu venis ad me, tu vis esse mecum, tu me invitas ad convivium tuum!

Sub ipsa Communione: primo, pia et modesta corporis compositio adhibenda est, accedendo ad Altare junctis ante pectus manibus, oculis demissis, flectendo genua, capite decenter erecto, corpore quieto, sine lectione vel labiorum motu, oreque honeste aperto cum sacra hostia porrigitur, ita ut lingua extremum labium attingat, nec sit ultra exerta. Secundo, excitanda spes et amor in Christum, non orando voce, sed meditando sequentia:

Oratio mentalis sub ipsa communione.

O dulcissime Jesu, in te est totum quod desiderare possum et debeo: tu salus mea, redemptio mea, spes et fortitudo, decus

et gloria. Amen te ex toto corde meo, o suavissime JESU ; regna in voluntate mea in æternum, ut nihil amem præter te, et nihil mihi placeat nisi propter te, sed semper idem velim quod tu vis, idem faciam quod placet sanctissimæ voluntati tuæ.

O Virgo Beatissima MARIA, patroni mei, et Sancti DEI omnes adjuvate vestris precibus, ut præstem constanter quod firmiter propono ad gloriam dulcissimi mei Salvatoris.

Post Sacram communionem tria præstanda : 1° Agendæ Deo gratiæ. 2° Offerendum cor, et quidquid suadet affectus ac pietas. 3° Petentum à Christo quod nostra necessitas requirit.

Actio gratiarum et oblatio.

Amabilissime JESU, DEUS cordis mei, unde mihi indignissimo peccatori tanta dignatio, tanta dilectio tantæ Majestatis, ut me oculis misericordiæ tuæ tam benigne, tam amanter visitare, tam misericorditer reficere, tam paterne fovere, tam suaviter, efficaciter et mirabiliter ad gloriam mihi, ut spero, prædestinatam deducere hucusque digneris ? Benedicta sit in æternum infinita bonitas, charitas et misericordia tua, qua me, ingratum toties, cum Patre et Spiritu Sancto ab æterno sic dilexisti, ut decerneres me cum electis omnibus creare, salvare, dotare, vocare ad tuam gratiam, et conservare ad gloriam. Sed quanta benignitas et misericordia tua, quod me in tempore creaveris, conservaveris, dotaveris, redemeris pretio sanguinis tui pretiosissimi, et hodie animam meam corpore et sanguine tuo refeceris, mihique pignus amoris tui et futuræ gloriæ te ipsum in sacratissimo convivio tuo dederis. Agnosco, o benignissime JESU, charitatem tuam erga me, et omnium creaturarum affectu, præsertim voce omnium sanctorum et spirituum cœlestium, te Dominum meum adoro, laudo et glorifico : me infra omnes creaturas in centrum nihili mei demitto, et supremæ tuæ Majestati inclino ; nam tua sola gratia sum id quod sum. Credo in te, o ineffabilis veritas ; in te spero, o fidelissima mea felicitas ;

te amo et semper amabo super omnia, o summa bonitas. Gaudeo etiam de omni tua perfectione, beatitudine, gloria et beneplacito tuo, meque tibi usque ad mortem et mei annihilationem resigno : totus tuus esse, et in æternum permanere desidero, sicut tu totus in hac suavissima communione et in vita ac morte tua meus esse voluisti. Omnem vitam meam tuo offero obsequio : offero tibi intellectum meum, ut te cognoscat, cogitet et meditetur ; offero memoriam, ut tui recordetur ; offero voluntatem, ut te diligat ; offero omnia pia desideria, quæ unquam habui aut habiturus sum ; offero sensus meos et affectus, ne unquam a te declinent ; offero quidquid sum, quidquid habeo aut habiturus sum, ut totus tibi ex omnibus viribus et ex tota mente serviam in æternum. Amen.

Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me. Passio Christi conforta me. O bone Jesu exaudi me. Intra vulnera tua absconde me. Ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ voca me, et jube me venire ad te : ut cum sanctis tuis laudem te in sæcula seculorum. Amen.

Subjiciat et Orationes Dominics et totidem salutationes Angelicas, ad honorem vulnerum Christi, eique commendet :

1° In sacrum vulnus dexteræ, Ecclesiam catholicam, Summum Pontificem, omnesque Ecclesiæ Prælatos. *Pater. Ave.*

2° In vulnus manus sinistræ, magistratus, præsertim supremos, status sæcularis, et superiores suos. *Pater. Ave.*

3° In vulnus pedis dextri, omnes obduratos et in peccato mortali existentes. *Pater. Ave.*

4° In vulnus pedis sinistri, animas fidelium defunctorum. *Pater. Ave.*

5° In vulnus lateris, se, suos parentes, nutritios, amicos et inimicos. *Pater. Ave.*

Memor sit diem quo sacram Communionem suscepit, pe-

culiari modestia ac pietate transigere, et frequenter diebus insequentibus inæstimabilis ipsius beneficii recordatione se ad evitanda peccata et sectandas virtutes incitare.

MODUS AUDIENDI DEVOTE SACRUM.

Facto signo S. Crucis, Domino Deo, cujus præsentiam recogitabunt, instantem suam orationem offerent, et gratiam bene precandi petant sequenti collecta, quam aliis quoque prolixioribus orationibus ac universim quibuscumque negotiis præmittere convenit :

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio à te semper incipiat, et per te cæpta finiatur, Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Facta hac oblatione, et benedictionis divinæ invocatione, qui in classibus superioribus sunt, usque ad elevationem quatuor minores horas ex Officio parvo B. M. Virginis, pro incremento gratiæ in vocatione sua clericali recitent. Adolescentes vero inferiorum classium dicant pro conservanda castitate Officium Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis, et hymnum S. Casimiri.

Hymnus S. Casimiri.

OMNI die dic MARIÆ
Mea laudes anima.
Ejus festa, ejus gesta
Cole devotissima.
Contemplare et mirare
Ejus celsitudinem.
Dic felicem Genitricem,
Dic beatam Virginem.

Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet :
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.
Hæc persona nobis dona
Contulit cœlestia :
Hæc Regina nos divina
Illustravit gratia.

Lingua mea dic trophæa
Virginis puerperæ :

Quæ inflictum maledictum
Miro transfert germine.
Sine fine dic Reginæ
  Mundi laudum cantica :
Ejus bona semper sona,
  Semper illa prædica.

Omnes mei sensu ei
  Personate gloriam :
Frequentate tam beatæ
  Virginis memoriam.
Nullus certe tam disertæ
  Extat eloquentitiæ,
Qui condignos promat hymnos
  Ejus excellentiæ.

Omnes laudent, unde gaudent,
  Matrem DEI Virginem.
Nullus fingat quod attingat
  Ejus celsitudinem;
Sed necesse, quod prodesse
  Piis constat mentibus,
Ut intendam quod impendam
  Me ipsius laudibus.

Quamvis sciam quod MARIAM
  Nemo digne prædicet,
Tamen vanus et insanus
  Est qui illam reticet,
Cujus vita erudita
  Disciplina cælica,
Argumenta et figmenta
  Destruxit hæretica.

Hujus mores, tanquam flores,
  Exornant Ecclesiam :
Actiones et sermones
  Miram præstant gratiam.
Evæ crimen nobis limen
Paradisi clauserat;
Hæc, dum credit et obedit,
  Cœli claustra reserat.

Propter Evam homo sævam
  Accepit sententiam :
Per MARIAM habet viam,
  Quæ ducit ad Patriam.
Hæc amanda et laudanda
  Cunctis specialiter :
Venerari, et precari
  Eam decet jugiter.

Ipsa donet ut quod monet
  Natus ejus faciam :
Ut finita carnis vita,
  Lætus hunc aspiciam.

Secunda pars.

O Cunctarum fœminarum
  Decus atque gloria!
Quam electam et evectam
  Scimus super omnia,
Clemens audi tuæ laudi
  Quos instantes conspicis :
Munda reos, et fac eos
  Donis dignos cœlicis.

Virga Jesse, spes oppressæ
Mentis et refugium;
Decus mundi, lux profundi,
Domini sacrarium;
Vitæ forma, morum norma,
Plenitudo gratiæ;
DEI templum, et exemplum
Totius justitiæ.

Virgo salve, per quam valvæ
Cœli patent miseris;
Quam non flexit, nec allexit
Fraus serpentis veteris:
Generosa et formosa
David Regis filia,
Quam elegit Rex qui regit
Et creavit omnia.

Gemma decens, rosa recens,
Castitatis lilium;
Castum chorum ad polorum
Quæ perducis gaudium.
Actionis et sermonis
Facultatem tribue,
Ut tuorum meritorum
Laudes promam strenue.

Opto nimis ut imprimis
Des mihi memoriam,
Qua decenter et frequenter
Tuam cantem gloriam.
Quamvis muta et polluta
Mea sciam labia,
Præsumendum, nec silendum
Est de tua gloria.

Virgo gaude, omni laude
Digna et præconio,
Quæ damnatis libertatis
Facta es occasio.
Semper munda et fœcunda
Virgo tu puerpera,
Mater alma, velut palma
Florens et fructifera.

Ejus flore et odore
Recreari cupimus,
Cujus fructu nos à luctu
Liberari credimus.
Pulchra tota sine nota
Cujuscumque maculæ,
Fac nos mundos et jucundos
Te laudare sedule.

O beata! per quam data
Nova mundo gaudia,
Et aperta fide certa
Regna sunt cœlestia,
Per te mundus lætabundus
Novo fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine

Nunc potentes sunt egentes,
Sicut olim dixeras:
Et egeni fiunt pleni
Ut tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum
Relinquuntur devia:
Doctrinarum perversarum
Pulsa sunt præstigia.

Mundi luxus atque fluxus
Docuisti spernere ;
DEUM quæri, carnem teri,
Vitiis resistere :
Mentis cursum tendi sursum
Pietatis studio;
Corpus angi, motus frangi
Pro cœlesti præmio.

Tu portasti inter casti
Ventris claustra Dominum
Redemptorem, ad honorem
Nos reformans pristinum.

Mater facta, sed intacta
Genuisti Filium,
Regem Regum, atque rerum
Creatorem omnium.

Benedicta, per quam victa
Hostis est versutia;
Destitutis spe salutis
Datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus,
Cujus mater crederis,
Increatus ex te natus
Nostri salus generis.

Tertia pars.

REPARATRIX, Consolatrix
Desperantis animæ,
A pressura, quæ ventura
Malis est, nos redime.
Pro me pete ut quiete
Sempiterna perfruar,
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar.

Quod requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera;
Et da menti te poscenti
Gratiarum munera :
Ut sim castus et modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius;

Eruditus et munitus
Divinis eloquiis;
Timoratus, et ornatus
Sacris exercitiis,
Constans, gravis et suavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus et maturus,
Patiens et humilis;

Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere;
Esto tutrix et adjutrix
Christiani populi.
Pacem præsta, ne molesta
Nos perturbent sæculi.

Salutaris stella maris,
Summis digna laudibus,
Quæ precellis cunctis stellis
Atque luminaribus;

Tua dulci prece fulci
Supplices et refove.
Quidquid gravat, vel depravat
Mentes nostras, remove.

Virgo gaude quod de fraude
Dæmonis nos liberas,
Dum in vera et sincera
Carne Deum generas,
Illibata et ditata
Cœlesti progenie,
Gravidata nec fraudata
Flore pudicitiæ.

Nam quod eras, perseveras,
Dum intacta generas,
Illum tractans atque lactans,
Per quem facta fueras.
Commendare me dignare
Christo tuo Filio,
Ut non cadam, sed evadam
De mundi naufragio.

Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam ;
Contra crimen da munimen,
Et mentis constantiam :
Non me liget, nec fatiget
Sæculi cupiditas,
Quæ indurat et obscurat
Mentes sibi subditas.

Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio,
Quæ multorum sit malorum
Frequenter occasio.
Ora Deum, ut cor meum
Sua servet gratia,
Ne antiquus inimicus
Seminet zizania

Da levamen et juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua festa, sive gesta
Qui colunt alacriter. Amen.

Ad consecrationem et elevationem hostiæ, usque ad orationem Dominicam, dicantur tarde et pensiculate sequentes orationes.

Ave verum corpus natum de MARIA Virgine ; vere passum immolatum in cruce pro homine ; cujus latus perforatum unda fluxit et sanguine. Esto nobis prægustatum in mortis examine. O dulcis, o pie, o JESU fili MARIÆ, miserere mei. Amen.

O JESU Fili DEI et MARIÆ Virginis, Dominus meus, et DEUS meus, qui pro me in Cruce mori dignatus es, adoro, amo et glorifico te super omnia : credo in te ; spero in te ; doleo pure propter te, quod unquam offenderim te. Ex hoc momento paratum cor meum ad omnem nutum tuum. Tuus sum ego, eroque

in æternum : posside me, et tuæ voluntati penitus me conforma. Pater misericordiarum respice in faciem dilectissimi filii tui, quem in sacrificium laudis, gratiarum actionis et propitiationis tibi offero. Per illius lacrymas, sudorem et sanguinem; per gemitus et suspiria; per labores et obsequia; per dolores et supplicia; per infinita ejus merita, miserere mei et omnium pro quibus mortuus est, ut te semper perfecte amemus, et tuam sanctissimam voluntatem amplectamur et exequamur in tempore et in æternitate.

Miserere etiam, misericordissime Pater, omnium fidelium defunctorum, eisque requiem æternam concede, ut te in æternum laudent, benedicant et glorificent, cui debetur omnis laus, honor et gloria. Amen.

Respice pie Pater piissimum Filium tuum pro me crucem passum : intuere sacratissima ejus vulnera : cerne manus innoxias pio manantes cruore, et remitte placatus scelera quæ patraverunt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, et renova me sacro fonte quem inde fluxisse credo. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambularunt in lege tua, diris confixa clavis; et perfice gressus meos in semitis tuis, et fac me odio habere omnem viam iniquitatis.

Postmodum cum celebrante recitent orationem Dominicam, quam sequitur,

Oratio. Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea, et omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris : ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis, etc.

Hic spiritualem communionem per varios fidei, spei, charitatis et aliarum virtutum actus erga Deum et Christum in venerabili Sacramento realiter præsentem instituant ad hunc modum :

Adoro te Domine Jesu, viva et vera fide, in hoc Sacramento Corpore et anima, carne et sanguine, vi mirabilis potentiæ, sapientiæ et bonitatis vere præsentem; et spero in te, o fons omnis bonitatis et misericordiæ : non enim sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, tu qui solo nutu potes omnia, et sanabitur misera et languens anima mea. Amo te Domine tam amantem mei ex toto corde meo, solum propter te, super me et omnia; et ideo cupio te sumere modo saltem spiritualiter per gratiam tuam, quæ cor meum a tot peccatis et imperfectionibus purificet, meritis et virtutibus exornet, sanctis cogitationibus et illustrationibus, velut divinæ sapientiæ tuæ radiis, illuminet, accendat in charitate, confortet in tentationibus, ne unquam separer a te; consoletur in tribulationibus, ut amore tui et propter te feram eas patienter, lubenter et gaudenter; in sancta vocatione mea ad tuam gloriam et animarum salutem corroboret, atque sic ad finem usque perseverantem ad vitam æternam secure perducat.

Anima Christi sanctifica me, etc., *ut supra fol.* 150.

Tum pro gratiarum actione ob maximum beneficium quod in Sacramento Eucharistiæ et Sacrificio Missæ Christus nobis exhibuit, se ipsum communicando et Deo Patri pro nobis offerendo; uti et pro ipsa Sacratissima passione, quam hoc Sacrificium repræsentat, dicatur Antiphona :

O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.

℣. Panem de cœlo præstitisti eis. ℟. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus : qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Sequitur Oratio S. Francisci Xaverii, quam ipse sub sacro pro conversione paganorum dicere solebat, ad hæreticorum et omnium gravium peccatorum emendationem a Deo exorandam directa.

Æterne rerum omnium effector Deus, memento a te animas infidelium, hæreticorum et peccatorum procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur! memento Jesum dilectum Filium tuum pro illarum salute atrocissimam subiisse necem : noli, quæso Domine, ultra permittere ut Filius tuus ab infidelibus, hæreticis ac peccatoribus contemnatur; sed precibus Sanctorum tuorum et Ecclesiæ Sanctissimæ Filii tui sponsæ placatus recordare misericordiæ tuæ, et oblitus idolatriæ, infidelitatis, contumaciæ et malitiæ eorum, effice ut ipsi quoque agnoscant, timeant ac diligant aliquando, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est salus et vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus; cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Denique ad finem Missæ, ex Officio parvo B. Mariæ Virginis recitent hymnum, et collectam ejus diei, cum versiculo et responsorio, ac cum celebrante percurrant sequens Evangelium :

In principio erat Verbum, etc.

Oratio ante quodvis opus.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio semper a te incipiat, et per te cæpta finiatur. Per Christum, etc.

Alia. O Christe Jesu, in unione charitatis illius, qua opus nostræ redemptionis operatus es in medio terræ, offero tibi hoc opus, et omnes actiones meas ad majorem Nominis tui gloriam, meam et proximorum salutem.

Oratio post quodlibet opus.

Benedictus es Domine Deus meus, qui exordium, progressum et exitum huic operi tribuisti; tuum est, si quid in eo bonum est, propter quod te laudo; meum si quid in eo peccatum, de quo doleo. Dignare, o piissime Domine, suscipere, et meritis Unigeniti Filii tui supplere imperfectum meum; et da ut quod a me neglectum, alias juxta beneplacitum tuum corrigatur et perficiatur.

Ante scholam et studia recitetur.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende: Qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei congregasti.

℣. Emitte Spiritum tuum, etc. *Cum oratione,* Deus, qui corda fidelium, etc.

Oratio ante studia.

Verbum Patris æternum, et omnis sapientiæ fons, Domine Jesu Christe, docilitatem mentibus nostris et intelligentiæ lumen infunde, ut feliciter nobis cedant hæc litterarum studia, quibus adjuti ad clariorem tui agnitionem et perfectum amorem bonitatis tuæ pervenire possimus. Qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Alia oratio ante studia S. Thomæ Aquinatis.

Creator ineffabilis, qui de thesauro sapientiæ tuæ tres Angelo-

rum Hierarchias annotasti, et eas super cœlum Empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissime partes universi distribuisti; Tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiæ diceris, atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices in quas natus sum a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudias, atque labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, loquendi gratiam copiosam : ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio post studia.

Gratias ago tibi æterna Sapientia Jesu Christe, cui hæc quæ modo didici me docere placuit. Da Domine labori meo incrementum quo proficiat ad tuam gloriam, et meam ac proximorum meorum æternam salutem. Amen.

Quoties auditur signum horæ recitetur unum Ave Maria cum versiculis :

Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

Ad signum Angelicæ Salutationis :

Angelus Domini, etc. *Cum oratione* Gratiam tuam quæsumus Domine. etc.

Die Jovis, ad Christi agoniam, pro opportunitate dicentur Septem Pater noster.

℣. Proprio filio suo non pepercit Deus. ℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus. Domine Jesu Christe, qui miserias et angustias, opprobria ac convitia, calumnias et injurias, pœnas et afflictiones,

passionem et mortem patienter pro nobis miseris peccatoribus redimendis ferre voluisti : te supplices exoramus ut omnes cruciatus, vitam et mortem tuam inter judicium tuum et animas nostras, nunc et in hora mortis nostræ, ponere, et largiri digneris vivis misericordiam et gratiam, defunctis requiem et veniam, Ecclesiæ tuæ pacem et concordiam, patriæ nostræ tranquillitatem, et nobis peccatoribus vitam et lætitiam sempiternam. Amen.

Cum pulsatur die veneris ad obitum Christi, precentur omnes :

Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi. ℟. Quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Oremus. Respice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum, qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio mensæ. Fiat ut habetur in libris ritualibus.

ORDO DIURNUS

ET MODUS VIVENDI PRO PERSONIS ECCLESIASTICIS.

---

1. Mane, post septem aut ad summum octo horas nocturnæ quietis surgendum est, et, facto signo S. Crucis, mens ad Deum piis affectibus elevanda, dicendo v. g. *Benedicta sit Sancta et Individua Trinitas, etc.;* uti etiam : *Jesu et Maria, vobis dono cor et animam meam.*

2. Inter induendum considerent quod omnes creati sint ut Creatori suo serviant, et per hoc servitium salvi fiant; ex quo devotum affectum excitantes, firmiter proponant ad Dei majorem gloriam omnes cogitationes, verba et opera, illa die et in tota vita, unice dirigere, ac omnia peccata vitare. Sub lotione, petant a Deo puritatem cogitationum, verborum et operum.

3. Vestiti et ad devotionem dispositi, flexis genibus Litanias Lauretanas cum solitis collectis, pro felici morte per intercessionem Beatissimæ Virginis et Sancti Jòsephi a Deo obtinenda devode recitent. Subjungant more solito examen conscientiæ, et ad ejus finem tria Pater et Ave in honorem Sanctissimæ Trinitatis pro incremento virtutum Theologicarum et gratiis ad bene operandum necessariis.

4. Postea per mediam saltem horam, secundum exercitium trium animæ potentiarum, orationem mentalem vel asceticam lectionem instituant, ad quam se pridie vesperi præparaverint. Deinde horas minores devote et reverenter recitent.

5. Tum fiat præparatio devota ad Missam, quæ cum omni possibili reverentia celebretur. Ab aliis non Sacerdotibus simili modo audiatur. Post Missam legatur attente sacra Scriptura, præsertim novum Testamentum, adhibita sanctorum Patrum aut probati interpretis explanatione.

6. Unam horam ante prandium in Theologia Morali, vel altero studio statui suo necessario et proportionato impendant. Qui ex officio, vel alia causa Sacrum tardius celebrant, poterunt dictam horam pro studio determinare illam quæ sequitur meditationem, et reliqua per ordinem postmodum prosequi.

7. Tempus quod restat ante ordinatam horam pro prandio, quilibet, prout magis utile et conveniens statui suo visum fuerit applicabit. Uno quadrante horæ ante prandium, pro recollectione spiritus commendent se sanctis Patronis et omnibus Sanctis, recitando Litanias omnium Sanctorum, concludendo cum brevi examine conscientiæ, et septem *Pater* et *Ave* pro obtinendis septem

petitionibus in *Pater noster* contentis et septem donis Spiritus Sancti.

8. Sub prandio et cœna, juxta ordinationem Concilii Tridentini adhibeant lectionem ex Sacra Scriptura et aliis libris salutaribus; post prandium, finita relaxatione animi cum Christiana modestia, aliis rebus honestis, non tamen adeo seriis, se conformiter statui suo occupabunt.

9. Reliquum tempus usque ad duas horas ante cœnam restantes impendi potest cum debita distributione in cantu Chorali, Lectione Rubricarum, Historia Sacra, visitatione infirmorum, conferentia cum aliis ex Theologia Morali, vel altero studio et aliis rebus cujuslibet statui proportionatis, recitandis Vesperis cum Completorio, subjungendo lectionem unius capitis ex Thoma Kempis per ordinem.

10. Postea per mediam horam legi potest liber solidus Spiritualis. Altera media hora resumatur studium Scripturæ Sacræ. Una hora ante cœnam recitari poterit Matutinum cum laudibus pro die sequenti; qui vero tempore matutino in Choro vel extra Chorum id faciunt, poterunt, hoc ante cœnam tempore, studio Theologiæ vel alteri ante prandium assignato invigilare.

11. Uno quadrante ante cœnam, fiat præparatio ad meditationem diei sequentis, aut, si commodius sit, immediate post preces nocturnas. Cœna et honesta post eam relaxatione finita, pro recollectione Spiritus orent unam partem Psalterii Beatæ Virginis, cui subjungant examen conscientiæ cum quinque *Pater* et *Ave* in honorem quinque vulnerum Christi, pro remissione peccatorum et custodia sensuum.

12. Frequenter de die, maxime ad sonum horæ, breviter et devote precibus jaculatoriis mentem ad Deum elevent dicendo, v. g. *Deus meus et omnia; Maria Mater gratiæ*, etc.

Quando ob negotia, vel ex alia rationabili causa Ordo Diurnus in quibusdam exercitiis fuit intermissus, postea semper continuetur cessantibus impedimentis.

Observanda qualibet Septimana.

1. Confitendum ad minimum semel, quamvis nihil grave occurrat. Pro Confessario ordinario eligatur vir prudens et devotus, cui status conscientiæ et motus animi ac impulsus extraordinarii candide aperiri possint.

2. Audienda exhortatio, vel conferentia spiritualis, exclusis alienis cogitationibus, ut debitus fructus exinde hauriatur.

3. Exercendum quoddam opus misericordiæ, v. g. visitare infirmos, carceratos, instruere ignorantes in rebus ad salutem spectantibus.

Observanda quolibet mense.

1. Relegendæ ad initium cujuslibet mensis hæ instructiones et modus vivendi, cum proposito observandi quantum possibile fuerit.

2. Conferendum cum proprio Directore super statu animæ et conscientiæ.

Observanda quolibet anno semel.

1. Per certos dies facienda sunt excercitia spiritualia, reflectendo se ad vitam præteritam, ac formando proposita emendationis vitæ et morum in futurum.

2. Relegendæ Rubricæ Missalis et Breviarii.

Observanda omni tempore.

1. In operibus et functionibus exercendi sunt actus Fidei, Spei et Charitatis in Deum et proximum, contritionis pro remissione peccatorum, resignationis in divinam voluntatem tam in adversis quam prosperis, misericordiæ erga pauperes.

2. Præsentia Dei semper ante oculos habenda, tam in actionibus publicis quam privatis. Orandum ad Deum pro suis et publicis Ecclesiæ Catholicæ necessitatibus. In Ecclesia, sub missa, vesperis, concionibus, vera pietate et modestia aliis prælucendum.

3. Beneficia Creationis, Redemptionis et Sanctificationis, sicut et quatuor hominis novissima perpetuo ob oculos ponant, ut ad Dei amorem, timorem et grati animi affectum serio impellantur.

4. Indifferentiam erga res hujus mundi habeant; legitimis Superioribus obediant, Ecclesiæ traditiones, Sanctorum Patrum doctrinas, et præcipue Sacræ Scripturæ libros summe æstiment et sibi familiares reddant.

5. A detractionibus abstineant; injurias ab aliis illatas patienter tolerent; fugiant consortium eorum qui ad mundana declinant, et cum iis qui Spiritum Ecclesiasticum habent sæpe conversentur; opera omnia ad modestiam et ædificationem aliorum disponant.

6. Fugienda conversatio et omnis curiosus aspectus sexus fœminei, ac multo magis habitatio cum fœminis in eadem domo. Vitandus lusus chartarum et similium. Habitatio, victus. etc. ita accomodentur, sicut decet ministros Dei; vestitus sit modestus, talaris, sine coloribus; capilli, barba, corona clericalis sint accommodata ad modestiam status Clericalis.

Libri Spirituales pro meditatione.

Busæus, Faber. Ambros. Spinula. Ludovicus de Ponte. Sacerdos Christianus Abellii, et alii.

Pro Lectione Spirituali.

Biblia, præsertim novum Testamentum in lingua latina; Instructio Sacerdotum P. Molinæ; Opera Ludovici Granatensis, specialiter Dux Peccatorum et Memoriale; Thomas a Kempis de Imitatione Christi; Pugna Spiritualis; libri S. Francisci Salesii, Tractatus de perfectione P. Rodriguez, etc.

Intentiones pro Psalterio B. Virginis.

Ut habentur *supra, fol.* 140 et 141.

Examen Conscientiæ.

1° Fit Gratiarum actio pro Beneficiis acceptis. 2° Petitur lu-

men ad cognoscendos defectus commissos. 3° Inquiritur quid ab ultimo examine peccaverint, et super particularibus defectibus ad quos magis inclinati sunt specialiter se examinent. 4° Contritionem eliciant super peccata memorata et totius vitæ. 5° Faciant firmum propositum emendationis.

INSTRUCTIONES

DE VIA PERFECTIONIS ET PRINCIPIIS PRACTICIS

PRO STATU CLERICALI ET PASTORALI,

Sive praxis Constitutionum Clericorum Sæcularium in Commune viventium,

AUCTORE BARTHOLOMÆO HOLZHAUSER.

PRÆFATIO.

I. Quandoquidem Divina providentia statum Clericalem una cum nascente Ecclesia ordinaverit, ideo eumdem amplecti cupientes, virtutum et Christianarum perfectionum sectatores ac imitatores esse per gratiam Dei firmiter sibi proponere debent, quas divina pagina, Sanctorum Patrum doctrina, mater nostra Ecclesia et ipsa ratio ab omni Christiano, maxime vero a Sacerdote, ad vitam æternam consequendam imprimis præscribunt, et quas assequi inter fluctus hujus mundi, juxta vocationem status Clericalis, auxiliante Divina gratia possibile fuerit.

II. Et sicut vita Clericalis, præsertim pastoralis, ex contemplativa et activa unam vitam constituit, quam Christus, cum Apostolis suis, Author sæculorum ad nostrum exemplum vixit, ita Clericalis vitæ intentio ex principali fine eo tendit, ut primo hominem interiorem perficiendo Creatori suo gratum efficiat, deinde etiam in hominem exteriorem per externas virtutum operationes splendorem suum effundens, solide instruat, aptumque in omnibus iis

reddat, quibus in hoc sæculo concreditæ Pastoribus animæ CHRISTO JESU Salvatori suo lucrifiant.

§ I. De studio trium Virtutum Theologicarum, et cultu erga Deum.

III. Cum inter omnium virtutum agmen et comitatum primas teneant tres illæ virtutes quæ Theologicæ vocantur, earumdem exercitium et custodia, tanquam altera animæ vita, Clericis enixissime commendantur : quemadmodum enim per memoriam, intellectum et voluntatem, eorumque verum exercitium, homo naturaliter beatus efficitur, ita per excellentissimas tres illas virtutes homo ad supernaturalem perfectionem mirabiliter elevatur.

IV. Porro, primam in sacro baptismate collatam innocentiæ stolam, aut (si illa per peccatum mortale amissa fuerit) gratiam beneficio pœnitentiæ redditam, plus quam pupillam oculi custodire oportet.

V. Etsi autem nunc per speculum ac in ænigmate tantum, per ea quæ facta sunt, eorum Creator a nobis cognoscatur ; nihilominus tamen anima vi trium illarum virtutum ad Divinæ Majestatis cognitionem, amorem et unionem elevatur, si eas jugi exercitatione iteraverit. Proinde nihil magis uniquique cordi sit, quam ut eas ardentissimo studio exerceat.

VI. Objectum principale in quod per virtutes theologicas tendimus, est Sanctissima Trinitas, sive Deus unus in essentia et trinus in personis, uti et incarnatio Salvatoris nostri, qui propter nos homines et propter nostram salutem de cœlis descendit. Ad hanc omnium bonorum abyssum animæ nostræ ascendendo eamdem frequenter sibi repræsentent, prout perfectiori modo omnes Sancti facie ad faciem per visionem beatificam in æternum conspiciunt et intuentur.

VII. His excellentissimis Virtutibus contra nequitias spirituales in cœlestibus securus quisque per gratiam Dei stare poterit ; si

scilicet in necessitatibus internis, aliisque his similibus, Deum per gratiam suam contra illas nos confortare posse credat, et credendo firmiter speret, sperando autem in charitate proficiat, et profunde in omnibus se dispositioni Dei resignet.

VIII. Et quia Misericordia bonitatis Domini nostri Jesu Christi maxime erga Sacerdotes finem non habet, qua dilexit nos; ideo pietas nostra erga eumdem Salvatorem nostrum omni qua fieri potest devotione in eum feratur, omneque illud obsequium ei præstetur, quo nomen ejus sanctum et amabile, in omnibus, et per omnia, et super omnia maxime glorificetur; eumdem etiam in affectibus teneritudinis, in simplicitate cordis ut filii patrem; in religione, in veneratione, in amore ut Deum; in timore ut judicem, et in subjectione ut regem respicientes, et intra nos arctissime contringentes, quatenus dulcissima ejus memoria cordibus nostris infixa jugiter oculis ac memoriæ observetur, ut ita quidquid faciamus omnia in nomine Domini Jesu Christi fiant.

§ II. De Christiana pietate erga Deiparam et omnes Sanctos.

IX. Porro Beatissimam Virginem Mariam Matrem ejusdem Domini Nostri Jesu Christi diligamus ut Matrem, timeamus ut Dominam, veneremur ut Reginam; ut Deiparam per frequentes laudes colamus, et denique quidquid amoris et devotionis, pietatis et religionis, universique cultus puræ creaturæ tribui potest, in omne illud viscera amoris erumpant. Non solum autem intra limites domesticos dicta pietas erga matrem nostram contineatur, sed apud Christianum populum eam dilatare et elucidare omni conatu possibili allaboremus.

X. Summos, post Christum fundatorem, status Ecclesiastici patronos et principes Apostolorum Petrum et Paulum multo et frequenti devotionis obsequio Clerici venerentur, omnesque Sanctos Dei tanquam charissimos fratres et patronos, sicut et Sanctos Angelos, potissimum vero Custodes; et patronos nominis,

15

aliosque ex singulari pietatis affectione a se electos, frequenti devotione ut rectores animarum suarum diligant, acieque mentis suæ sæpius ad eos ascendendo, humillimis votis ac desideriis protectioni eorumdem statum Clericalem commendent.

§ III. De ardore animi ad Divina, de puritate intentionis et studio solidarum Virtutum.

XI. Ad divinia officia aliasque actiones sacras perpetuum animi ardorem jugemque devotionis vigorem in se alere, divinæque gratiæ cooperari studeant, ut non solum principium, sed etiam medium et finis uniuscujusque actionis debito fervore ad Majestatis Divinæ honorem referantur.

XII. Ad impetrandum hunc ardorem, qui merito actionum sacrarum sapor esse censetur, gratiam Spiritus Sancti (sine qua omnia perpetuo frigent) frequenti humilitate invocent; animam suam ad Divina debito modo præparent; præsentiam aulæ cœlestis sibi in omnibus ob oculos ponant; Sacerdotem magnum JESUM CHRISTUM se præsentare pensent; dignitatem et magnitudinem ministerii sui animo sæpius revolventes, labentem fervorem excitent, et excitatum usque ad finem deducere ac conservare per divinam gratiam conentur.

XIII. Cum vero radix ac fundamentum, ex quo non modo dictus ardor, verum etiam potissima perfectio ac bonitas nostrarum actionum ut plurimum emergit, sit sancta et pura intentio ; Sacerdotes enucleata circumspectione animadvertant qua intentione ac impulsu animi in singulas actiones ferantur, extirpatoque ac procul excusso omnis vanitatis fine, quæ facile sub specie pietatis in humanis actionibus subrepere consuevit, simplici rectoque oculo, scilicet simplicissima puritate et bene defæcata rectitudine, divinæ Majestatis gloriam et amorem, salutemque vel propriam vel proximorum zelare, et per hæc ipsa divinæ voluntati per omnia et in omnibus unice placere desiderent.

XIV. Et ne hæc ipsa intentionis sanctitas et puritas semel formata, per diaboli occultos insultus, aut propriæ nostræ vanitatis ac superbiæ complacentiam (qui duo hostes rectæ intentioni maxime insidiantur) obfuscata in obliquum in ipsa executione trahatur, prædictam intentionem non solum mane cursui totius diei medullata teneritudine piarum affectionum præmittant, verum etiam ante omne opus (saltem majoris momenti) de novo illam renovent, sæpiusque contra insidias diaboli et proprii amoris humanæque superbiæ subreptionem coram oculis Divinæ Majestatis protestentur.

XV. Porro etiam in omni vita sua studio vivarum ac solidarum virtutum se tradent, quibus hominem suum interiorem ad exemplum Christi et Sanctorum Dei in hunc modum fundamentaliter muniant, et, procul fugato omni vanitatis affectu, medullam veræ virtutis insectentur, operantesque in justitia et sanctitate veritatis ad eas virtutes præ cœteris conentur, quæ in vita et conversatione Sacerdotali maxime resplendent. Ad hoc ipsum plurimum juvabit si omnes suas actiones puræ intentioni subjecerint, insuperque ordinate per gradus, in singularum virtutum scientia ascendere noverint, cujus propositum ex meditatione quotidiana unusquisque sibi statuere debet.

§ IV. De Christiana humilitate.

XVI. Cum solidarum virtutum non solum vitalis quodammodo radix, fundamentum, mater et informatrix in omni homine, maxime autem in Clericis, utpote in sublimiori dignitatis statu positis, humilitas sit; eamdem ante omnia indefesso studio sectentur, et tanquam personæ sacræ decorem diligant et amplectantur.

XVII. Neque etiam temere, sine habita ratione graduum, hujus virtutis studium suscipiant, sed primo quidem ad cognitionem inenarrabilis bonitatis Dei, in qua omnia simpliciter bona conti-

nentur æternaliter, et ab eadem quæcumque in nobis vere bona sunt dimanant, animitus convertantur; ex quo capite homo noster interior facile ad veram humilitatem inflectetur.

XVIII. Ad hanc cognitionem illius inenarrabilis erga nos bonitatis, quæ humilitatis Christianæque perfectionis primum principium esse merito censetur, non solum ex sacris Bibliis, Sanctorumque Patrum scriptis, verum etiam ex quotidiana statuta meditatione, ex toto universo, et deinde ex creaturis singulis, maxime vero homine, qui ad imaginem Dei creatus est, ascendere et tendere oportet; cum ex his Creator eorum per speculum quodammodo cognoscatur.

XIX. Pari studio verissimam sui ipsius notitiam acquirere conentur, ex qua tanquam radice vitali cœteri humilitatis gradus provenire solent.

XX. Et quia hæc notitia sui ipsius circa tria objecta, scilicet circa corporalia, spiritualia, et supernaturalia bona, eorumdemque oppositos defectus potissimum versatur, etiam tres quodammodo humilitatis gradus existunt contra superbiam, quæ circa tria dicta objecta diversimode infirmitati nostræ subrepere potest.

XXI. Ad perstringendam magis aciem mentis in hac ipsa triplici sui ipsius cognitione, suum proprium nihilum sibi repræsentent : dein similem de spiritualibus, sicut et de supernaturalibus speciem efforment, secumque efficaciter pensent quomodo inenarrabilis Dei bonitas, sua voluntate miserante, in tempore unumquemque ex nihilo suo mirabiliter creaverit. Hac notitia illuminati cum Psalmista David Domino confiteantur, dicentes : *Substantia mea tanquam nihilum ante te.*

XXII. Ex hac scientia bonitatis Dei et propriæ nullitatis in omnibus non solum malis et defectibus, quibus se adhuc subjectos teneri sciunt, verum etiam in omnibus a Deo acceptis

bonis, verissime sibi ipsis per omnia vilescere adnitantur; in veritate sibi firmiter persuadentes cuncta et sola bona a Dei bonitate, mala vero ex nostra pravitate et fragilitate propria solum descendere : hunc gradum tum demum se assecutos esse existiment, quando tam honores quam contemptus propriæ personæ ad Divinæ Majestatis gloriam referri ex animo cupient.

XXIII. Ne etiam quispiam supra id quod est, aut quod non est, in se ipso evanescat, tubum opticum intelligentiæ suæ non præpostero modo ad judicandas virtutes et contrarios defectus suos applicet, quo plerumque humana infirmitas excæcata, vitia et interioris sui hominis passiones a se multo longius distare, et e contra Virtutes sibi propinquiores multoque plures inesse existimat, quam in re ipsa fuisse primum post longum tempus sæpe sæpius invenimus.

XXIV. Porro humilitatem ipsius intellectus et proprii de semetipsis judicii per actus supra se et opera sua reflexivos contra vanitatis subreptionem sedulo firmare conentur: hæc enim hominis opera, atque ipsum quoque hominem humilem reddit, facileque per eam voluntas ad humilitatis et submissionis obsequium inflectitur.

XXV. Non solum autem quivis sibi ipsi intime vilescat, sed nec ullam vanam sui æstimationem quærat, quin potius ad propriam correctionem, maxime quando ita meritus est, ab aliis despici et contemptibiliter haberi ex animo petat. Quod difficile non erit, si in veritate vilitatem suam agnoscat; cum enim se ipsum vilem quis reputat, is gaudebit si suæ æstimationi aliorum etiam opinionem conformari videat.

XXVI. De rebus suis perpetuo humiliter sentiant, et ad propriam laudem plausibiliter non loquantur neque operentur; sed pro viribus ea abscondere prudenter sciant, quæ absque

magna utilitate et necessitate sunt, et dictam plausibilitatem sapere videntur. Et si ab aliis laudentur, in se ipsis non extollantur, neque sibi interius complaceant, sed inde magis ex animo humilientur, sincerè considerantes verè de omnibus bonis Deum, qui illorum dator est, glorificandum esse.

XXVII. Defectus suos et vitia, quæ permittente Deo subinde incurrunt, contra veritatem palliando violenter non excusent, sed potius de iis admoneri et corrigi gaudeant, quemadmodum Virtutis studiosum facere decet. Officia etiam viliora et inferiora exercitia libenter suscipiant, et in iis se cum humili Christo suo magis volupte quam in altioribus se exercere studeant, si ita Superiorum voluntas et præsens occasio offerat.

XXVIII. In desideriis suis spiritualibus, quibus subinde hominem suum interiorem tam ad honorem et æstimationem, quam etiam ad officia altiora, maxime ad officium Cathedrarum aliaque opera majora, zelo salutis animarum et gloriæ Dei exstimulari animadvertunt, vigilanter perspiciant an in veritate sanctitatis ad illa moveantur. Quamvis enim hæc tanquam medium ad majorem Dei gloriam et salutem animarum promovendam desiderare possint, sæpius tamen amor proprius et vana complacentia se inferunt, contra quæ caute et circumspecte invigilandum est.

XXIX. Denique non modo neminem contemnant, sed magis omnibus aliis se inferiores æstiment; quod ipsum in veritate judicare et dicere semper possunt, si sibi plura non adscribant quam habeant, aut quid essent ac esse possent, si misericordia Dei non copiosius eos quam alios respexisset; unde Apostolus dicit : *quis te discernit ? et quid habes quod non accepisti ?* Vult dicere neminem se a fratre suo in bonis discernere posse; bene autem in malis et peccatis propriis quæ perpetraret, si gratia Dei non magis præveniretur.

§ V. De Christiana simplicitate.

XXX. Ad destruendam præsentis sæculi pestiferam compositionem, quæ (pro dolor!) in omnes status quodammodo irrepsit, in diesque magis serpit, Christianam simplicitatem abundantius in visceribus Christi diligentes, ut pupillam oculi sui custodiant; et, veluti symbolum proprium Clericalis status, in conversatione sua eo magis colere studeant, quo eam, humilitatis individuam comitem, humanis actionibus decorem tribuere manifeste constat.

XXXI. Non ad oculum et secundum externam speciem simplices appareant, sicut hypocritæ ad majorem occultioremque deceptionem simplices apparere, et omni simplicitate carere solent; sed magis in sanctitate veritatis operantes, genuinam illius simplicitatis efficaciam imitentur, quam Filius Dei et omnium retro sæculorum Patriarchæ, cæterique viri sancti in vita sua servaverunt, et nobis in exemplum et veritatis testimonium reliquerunt.

XXXII. Bilingues et duplices corde non efficiantur, ut aliud corde sentiant, quam quod loquuntur; hujusmodi enim odibiles sunt Deo. Sermo autem uniuscujusque non alius reperiatur a Deo Judice quam *est, est;* et *non, non:* et veritas semper stet in ore et in omni sensu, omni tempore, quo quisque placeat summo et simplicissimo bono, Deo nostro, qui in Cœlis est.

XXXIII. Compositum et affectatum sermonem, tam in publico quam privato, maxime vero in prædicando Verbo Dei, prorsus fugiant, sed perpetuo verba sua et sermones suos sale simplicitatis sic aspergant, ut ex iis modestia et humilitas elucentes audientium animos aut ædificent, aut emendent; quod ipsum facile obtinere poterunt, si salem sapientitiæ Dei ex Scriptura et SS. Patribus, magis quam ex profanis Scriptoribus haurire et adhibere satagant; sermo enim divinus, omni melle dulcior,

veræ simplicitatis normam per omnia superabundanter nobis proponit et suppeditat.

XXXIV. A mentalibus restrictionibus, amphibologiis aliisque æquivocationibus abstineant, et simplicibus humiliter insistant; in sobrietate spiritus pensent an veritas, utpote summum Christiani hominis decus, in cardinibus suis per omnia subsistat et non lædatur.

XXXV. Non adulentur in aulis Magnatum, ut contra mentem loquantur aut blandiantur, vel semetipsos commendare volentes in iis rebus consentiant et ea consilia suggerant, vel laudent approbantes, quæ vel Dominum nostrum Jesum Christum, vel proximum ullo modo lædere et gravare per injustitiam posse videantur.

XXXVI. Candorem animi in visceribus suis habeant, in quo non solum proximis suis vere germani pectoris normam ad ædificationem exhibeant, verum etiam unicuique, secundum præsentem necessitatis, utilitatis aut honestatis instantiam, veritatem indicare audeant, nihil ficta urbanitate dissimulantes : per compositionem enim fallacem hujus sæculi putrescunt et infatuantur omnia; cum nemo sit qui facile alteri veritatem erroris indicare velit: proinde *nolite conformari huic sæculo;* sed renovamini in simplicitate Christiana in destructionem mendacii.

XXXVII. In habitu et totius corporis compositione præcipuum sit simplicitas, ornamentum modestia, et pretium vestis humilitas; et si quis ab hac uniformitatis norma discedere et se contra præscriptum Clericalis status vanitati hujus sæculi in vestitu conformare præsumpserit, hujusmodi humilietur et corrigatur, donec sibi in veritate vilescens in simplicitate sapiat.

XXXVIII. Denique in suis actionibus, sicut et in totius corporis compositione, inutilium ceremonarium compositiones devitent, cum turpe sit personæ sacræ si in aulicorum et mun-

danorum hominum moribus hominibus placere cupiat. Commendat autem Clericum si actiones et mores recti, simplices, pauci, humiles, modesti et graves in eo eluceant.

XXXIX. Porro omnes, præsertim vero qui a Deo et natura præstantiora ingenia sortiti speciali intelligentiæ naturalis acumine pollent, diligenter circumspiciant quatenus altum in se spiritum, qui plerumque præstantia ingenia consequi solet, radicari non sinant; et si hac passione periculosa laborare propria experientia aut Superiorum judicio animadvertant, per gratiam Dei ad moderamen sanctæ simplicitatis et discretionis frequentatione actuum contrariorum se reducere conentur.

XL. Quæstiones quæ hominem magis implicare quam explicare consueverunt, ultra id quod utile est et capi potest non scrutentur. Denique in omni scientiarum studio sapere quidem, sed sic sapere studeant ut non evanescant; recte autem sapient, si in rebus probabilibus ac dubiis semel sanum assecuti sensum, in mediocri ac illo intelligentiæ gradu perpetuo subsistant, qui bonitatis et utilitatis viam et regulam demonstret, secundum quam in praxi utilitatem, honestatem, veritatem et justitiam sanctitatemque operentur.

XLI. Rebus ac negotiis sæcularibus non involvantur; in aulis Regum, Principum aliorumque Magnatum, excepta causa fidei aut conversionis, vel alia necessaria et Clericali statui conveniente, non morentur.

XLII. Detractiones fugiant; judiciis et dictis hominum curiosis non attendant, neque secundum ea operentur, aut se ipsos commendare volentes illa Magnatibus referant et homines accusent extra forum obligationis Clericorum. Hujusmodi etiam non audiantur, cum nihil solidum virtutis præ se ferant, mala autem plurima susurrationum et distractionum inde causentur.

XLIII. Rebus ad se nihil pertinentibus non immisceantur.

Causam temporalem si quam habuerint coram judicio sæculari, utantur Procuratore. Nimium officiosi non sint in patrocinando, neque statim cedant querelis hominum, maxime quibus adversus judices et magistratus sæculares subditi eos commovere voluerint. Et universim rebus odiosis se non immisceant, in sensu autem simplicitatis et indifferentiæ abundent; et si omnino rationabilis causa viduarum, pupillorum, ac personarum miserabilium, vel alterius necessitatis instantia patrocinium Clerici exigerit, debita modestia in sensu simplicitatis rem proponant.

§ VI. De Prudentia.

XLIV. Quia simplicitas sine ratione medium veræ virtutis neutiquam assequitur, prudentia eidem conjuncta esse debet; ex cujus dictamine futura ex præsentibus et præteritis salubriter judicare, a deceptionibus cavere, et cogitationem omnium rerum appetendarum vel fugiendarum ita instituere quisque sciat, quatenus actiones suas tam consilio quam debita humana providentia, tanquam castrorum aciem ordinatas, in libertate circumspectionis incipere et tractare valeat. Regulæ autem prudentiæ sequentes statuentur.

XLV. Primo. Intelligentia lucida et matura polleant necesse est, qua omnium rerum objecta proposita, prout in se sunt, cognoscant, et eorum honestatem, utilitatem necessitatemque, aut earumdem contraria penetrantes, unamquamque rem secundum veritatem cognoscant. Ideoque nihil unquam deliberandum tunc suscipiant, quando dictam intelligentiam, vel naturali claritatis deliquio desolatam, vel passionibus ex aliquo capite turbatam animadvertunt : nihil enim in hoc casu prudenter deliberari, aut deliberandum suscipi potest.

XLVI. Secundo. Hanc ipsam suam intelligentiam universalibus tam naturalium quam spiritualium rerum principiis undequaque et solide instructam, et in quibusdam memoriæ veluti

cellulis bono ordine dispositam habere debent, quæ prudentia non solum cognoscat, verum etiam ad ea in actionibus suis tanquam prima principia respiciat. Fontes autem ex quibus principia universalia hauriant, sunt lumen naturale, discursus, experientia, meditatio, studia scholastica, lectio librorum, instructio periti patris spiritualis et illuminatio Divina.

XLVII. Tertio. Cœco impetu solius affectionis voluntatis nihil unquam faciant vel omittant, nisi prius actuali, aut saltem virtuali habitualive reflexione intellectuali pensaverint ad quam virtutis vel vitii seriem spectet, vel reducatur; similiter ex simplici confusaque veritatis apprehensione judicia ac sententias suas non formabunt, donec cognoverint in quo principio universali vel particulari veritatis aut morum res illa, de qua judicandum aut circa quam negotiandum, ultimate fundetur.

XLVIII. Quarto. Ut hoc ipsum perpetuo obtineatur, non solum affectus suos pura voluntatis indifferentia pro viribus in communi refrenare studeant, sed vel maxime in particulari in potentias suas eos intrare non permittant, et tunc prorsus a consilio excludant, quando de honestate, utilitate, necessitate veritateque rei operandæ aut judicandæ in consistorio intellectuali agitur. Sicut enim affectio voluntatis rerum deliberatarum ex natura sua per prudentiam executrix est, et ad dandam propositis nostris efficaciam optime quadrat, ita si affectibus suis non rectis rectam rationem nostram corrumpens præoccupet, aut in consilio intellectuali superveniat, pessima consiliatrix omnia plerumque turbat. Quod diligenter notandum est; nam ex hoc capite imprudentiæ fructus nascuntur, quales sunt præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, negligentia, astutia, fraus, dolus, sollicitudo temporalium et futurorum.

XLIX. Quinto. Non solum autem in rebus suis dicto modo ad universalia principia attendant, sed etiam in particulari accurate circumspiciant quales circumstantiæ temporum, locorum, perso-

narum, occasionum, mediorum, obstaculorum et inconvenientiarum aut fructuum consequi contengentium simul intercurrant; ex quorum provida cognitione nobis constare possit quæ veritas rebus subsit, et quid honestas, utilitas, vel necessitas hic et nunc, ad prosecutionem vel fugam propositi objecti, prudenter rationabiliterque suadeant; frequenter enim contingit, ut quod ex objecto et secundum principium universale honestum, verum et utile est, hic et nunc non verificetur, aut omitti et differri merito debeat.

L. Sexto. Ad obtinendam hujusmodi prudentiam in agendis hic et nunc, ad præterita, tam sua quam aliorum, diligenter memoria tenentes sæpius se reflectant, quo scilicet veritatis, honestatis, utilitatis necessitatisque eventu nobis vel aliis successerint, aut quæ mala et incommoda inde pullulaverint, et ex quo defectu, errore aut indiscretione contraria prudentiæ id contigerit. In hunc finem de rebus suis actis et omissis, saltem alicujus momenti, sicut et de toto rerum suarum decursu sæpius in vita maturum secum examen vel colloquium cum prudenti superiore seu magistro spirituali instituant, imprudentiamque suam intime recognoscentes, ex erratis suis variis bona principia prudentiæ et documenta praxis colligant, cujus experientia optima magistra esse consuevit.

LI. Septimo. Porro cum prudentia in anima residens, plures easque diversas partes ac facultates quodammodo a consilio sibi assistrices habeat, quarum opera in gubernatione sua utitur; primæ omnibus curæ erit, ut in agendis, non uni alicujus considerationi acquiescant, sed omnes ejusmodi facultates, aut saltem illas in munere suo requirant, quæ ad discutiendam veritatem aut ferendam prudentiæ sententiam ex natura sua ordinatæ potissimum inservire possunt, et super re præsenti requiri merito debebunt. Hujusmodi autem partes ac facultates sunt intelligentia, memoria, docilitas, solertia, ratio, providentia et cautio, quarum singulæ munus quoddam in prudentiæ discussione gerunt.

LII. Octavo. Quo vero ordinatius prædictas facultates ad officium prudentiæ in agendis requirant, non solum partes in quas prudentia dividitur probe perspectas habeant, verum etiam advertant quæ actiones et sub cujus partis prudentiæ prælum in particulari cadant: quod diligenter notandum. Prudentia enim est omnium virtutum moralium directiva; dictat et præscribit quid in quavis actione particulari honestum et amplectendum, quidque turpe et aspernandum sit.

LIII. Nono. Præterea quia prudentiæ actus tres sunt principales, scilicet bene consultare, recte judicare et executionem præcipere, inter dictos actus eum ordinem observent, ut nil ante consultationem judicent, et ante recti alicujus judicii sententiam nihil etiam executioni mandent; è contra quod semel matura deliberatione conclusum fuit, incunctanter exequantur: sicut enim is qui sine consilio operatur, per vitium præcipitationis et inconsiderationis, ita qui post firmam animi conclusionem cunctatur, per vitium negligentiæ agere merito censeri debet.

LIV. Decimo. Et quamvis prudentia quædam moderatrix humanarum etiam internarum actionum, auriga virtutum, ordinatrix affectionum et doctrix morum sit, illius tamen pulchritudo maxime in externis actionibus, verbis, dandis consiliis, et tam in regimine œconomico quam spirituali disciplina cernitur, in quibus omnibus nisi tanquam regina unice resideat, cunctaque instituens moderetur et regat, omnia perpetuo claudicare solent, ut proinde in his nil statuendum aut omittendum nobis sit, nisi prius consilium prudentiæ diligenter requiratur.

CAPUT II [1].

DE SCIENTIA PRACTICA ET DISCRETIVA BONI ET MALI IN REGENDO ET AGENDO, ETC.

§ I. De triplici motione quæ animam nostram in hac vita diversimode afficiendo influere consuevit, et de regulis quibus prædictæ motiones discernantur.

I. Anima Hominis universim triplicem motionem et instinctum patitur, quibus vel ad bonum et vitam æternam, vel ad malum et perditionem, prout instinctus illi a diversis moventibus excitantur, allicitur et movetur; quamvis, ob summum quodammodo et divinum illud libertatis bonum qua anima nostra statim ab initio a Deo dotata, vere omnium suarum actionum humanarum domina et regina, supra se ipsam principatum tenere potest, a nullo necessitari soleat, nec possit.

II. Sicut animus noster diversimode vel a natura ad aliquid faciendum aut omittendum impellitur, vel a Deo trahitur, vel denique a malo diaboli spiritu turbatur; ita impulsus illi nomen instinctus naturalis, divini, vel diabolici sortiuntur: de quorum discretione hic inquiremus, et ad eam sollicite in actionibus nostris humanis merito attendere debemus, ne, in apparente bono vel vero decepti, damna spiritualia ac omnimo etiam salutis æternæ jacturam patiamur.

III. Et quamvis ipsius naturæ vitiatæ impulsus non raro seorsim in nobis stimulantes experiamur, ut proinde non omnium tentationum diabolus author incusandus sit, quia tamen natura nostra veluti quibusdam funiculis ad diversa trahitur, ideo plerumque etiam cum affectione naturali motio vel divina vel diabolica con-

(1) *Erratum.* — A la page 168 ci-dessus, après la ligne 2, on a omis par erreur typographique le titre du chapitre 1er : CAPUT I, *De Christianâ perfectione interioris hominis.*

juncta esse solet: cum utrumque movens naturalem nostram affectionem magis incitare et ad suas partes trahere conetur. Quod in discretione spirituum diligenter notandum est.

IV. Quamdiù sumus in hac vita, contrarias animi motiones experimur, ut proinde nemo, quantuscumque Christianæ perfectionis æmulator existat, ex hoc capite dejici vel mirari, sed perpetuo cogitare debeat animam in navicula hujus corporis mortalis inter fluctus varios ad portum salutis æternæ transmeare.

V. Dictarum motionum contrarietas inde scaturiginem suam ducit, quod scilicet post corruptelam peccati primorum parentum concupiscentia nostra in eodem et temperato statu pacis non permaneat, sed caro concupiscat adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Unde frequenter contingit ut circa idem objectum appetendum vel fugiendum diversos in nobis motus et pugnantes instinctus sentiamus.

VI. Prima regula dignoscendi sæpius dictos tres internos animi motus est quod homo ad ea quæ sunt præsentia hujus mundi, vel per concupiscentiam carnis, vel oculorum, vel per superbiam vitæ alliciatur; diabolus vero et motio naturalis mala ad omnem inhonestatem impellat, voluptates ut summum bonum suadeat, vel etiam errorem et falsitatem pro veritate obtrudat: gratia contra divina evitare facit mendacium et peccatum, præsentia hujus mundi non esse veram felicitatem clare ostendit, et ad omnem honestatem, qua vitam æternam consequamur, suaviter impellit.

VII. Secunda regula. Motio animi quæ divina dicitur, solum ad ea facienda vel ordinanda animam nostram inducere satagit, quæ vel honesta, vel utilia, vel necessaria sunt ad vitam vere justam in hoc sæculo ducendam et impetrandam vitam æternam; vel ad omittenda contraria: motio vero diabolica disturbans pacem, dissonantiam vitæ nostræ ingerere solet, et per hanc ad inhonesta, inutilia et damnosa, directe vel indirecte, aperta vel

occulta machinatione traducere conatur. Cujus exempla in prima matre nostra Eva et reparatrice MARIA novimus: quarum prima suggestioni diabolicæ *(non moriemini)* consensit, et divinæ inspirationi *(moriemini)* dissensit; MARIA vero naturalem rationem et instinctum: *quomodo fiet istud?* captivam duxit, et divinæ inspirationi: *Spiritus Sanctus superveniet in te,* locum dedit.

VIII. Tertia regula. Divina inspiratio non solum objectum ipsum dicto modo honestum, necessarium vel utile ad vere sanctam vitam ducendam animæ proponit, verum etiam media licita, necessaria et possibilia in fide vel spe divina confidentibus ostendit: motio autem diabolica et mala naturalis, in turbata præcipitantia, vel confusa præsumptione, animam ad media illicita, inutilia, immatura, vel impossibilia rapiunt, ut confundant. Sic in sapientia ædificavit Salomon templum Domini, et confusa est scientia humana in ædificanda turri Babylonica; in spe Noë per arcam salvavit genus humanum ab universali diluvio, et occidit David in funda Goliath; et Saul abjectus est a Domino, eo quod malæ motioni consenserit, et Sacrificium obtulerit quod erat ipsi medium illicitum ad placandum Dominum.

IX. Quarta regula. Præterea inspiratio divina etiam petit ut circumstantiæ temporis, locorum, qualitatis personarum et omnium sequelarum, licitæ et proficuæ sint in rebus quas animæ nostræ suadet; et contra naturalis et diabolica motio in ejusmodi circumstantiis ordinarie impingit, ut sic vel opera nostra, quæ alias ex se bona essent, corrumpat, vel aliquo saltem modo vitiet, vel mala inde majora causentur: sic suadet nobis subinde bonum opus in publico, ut videamur ab hominibus, et concionem alti conceptus propter vanam gloriam; correptionem severiorem et improportionatam, ad irritandum magis proximum et grave illius damnum spirituale, quod inde provenire posse præsagit; mortificationem et jejunia nimia, ad destruendam sanitatem hominis quem multa bona facturum prævidet, et sexcenta alia.

X. Quinta regula. Etsi nulla motio a malo spiritu sathanæ causata bona esse, consequenter neque ipsi consensus unquam præberi possit, naturalis tamen motio tunc tantummodo mala et fugienda esse noscitur, quando ad aliquid impellit quod vel rectæ rationi ac lumini naturæ, vel legi divinæ aut humanæ repugnat, vel in circumstantiis impingit, aut a legitimo fine recedit: a quibus omnibus ut securi simus, anima nostra hujusmodi naturalibus suis motionibus, quantumvis apparenter bonis, consensum tunc nunquam præbeat, quando in aliqua passione et vehementia immoderata etiam zeli spiritualis se exuperare animadverterit.

XI. Sexta regula. Malignus spiritus, more Pseudopoliticum, intentionem finemque malum ac fallacem occulta sua machinatione in omnibus iis quæ suadet semper intendit, et quia malignus spiritus sathanæ, magister omnium Pseudopoliticorum hujus sæculi existit, in hoc genere fallendi occultissimus et peritissimus impostor sæpissime operibus per se vere optimis pessimum finem intendit, quem, mediante illo bono quod suadet, subinde primum in secunda, tertia, quarta vel etiam ulteriori sequela consequitur; quod bono spiritui e diametro prorsus contrarium est. Proinde anima nostra quotiescumque ad aliquid faciendum vel omittendum, quod in se bonum apparet, interius inclinatur, accurata circumspectione intentionem et finem scrutetur, quo scilicet tam objectum et media quam circumstantiæ et finis sequelæque operis collimare posse videantur. Sic multis proposuit longas orationes, ut omnino ab exercitio orationis pertæsos dimoveret: aliis nimis frequentes confessiones et communiones, ut debitam æstimationem erga hæc sacra Mysteria eriperet et ad frigidam consuetudinem deduceret; aliis suasit nimis rigidam et exoticam in externis vitam, relicta interioris hominis exercitatione et mortificatione necessaria, ut intuitu bonorum operum evanescerent, et in superbiam elati jugum obedientiæ excuterent, in errorem ducerentur et perirent; aliis nimias mortificationes, ut ignem divini amoris, cui moderati spiritus vitales subserviunt, paulatim

extingueret; aliis angorem conscientiæ præteritorum peccatorum, vel timorem futurorum, ut devotionem præsentem impediret, vel omnino ad desperationem adigeret.

XII. Septima regula. Frequenter contingere potest ut prima motio ad objectum ipsum honestum divinitus inspirata sit, consequens vero inspiratio mediorum, aut circumstantiarum, aut denique finis, inordinata et vitiosa fiat, quatenus illa vel à corrupta nostra natura in suum proprium commodum et amorem excogitata trahitur, vel a sathana osore omnis puritatis per falsam illationem menti nostræ submittitur. Similiter fieri etiam potest ut non solum propositum objecti, verum etiam inspiratio mediorum et circumstantiarum a cœlesti Spiritu homini instillentur, intentio vero ac finis aut consequentes sequelæ per naturalem nostram vel diabolicam instillationem depraventur. Proinde non hoc ipso propositum, quod ab initio bono spiritu susceptum, mutandum vel abjiciendum est, ex eo quod in mediis aliisque circumstantiis et fine natura aut diabolus, transfigurantes se in Angelum lucis, animam ex consequenti supplantaverint; sed potius, deceptione deposita, malum ac error emendari et ad rectum divinæ voluntatis tramitem reduci debet : quod patres spirituales et omnes qui animas dirigunt diligenter notent, et non statim clientis sui inspirationem substantialem tanquam ex dæmone scaturientem abjiciant; ejusmodi enim indiscretio non paucos in pusillanimitatem et desertionem magnarum virtutum ac operum præcipitavit : scire enim debent hoc esse sathanæ ingenium, si animadvertat animam nostram ad aliquod bonum opus præmotam esse, pro viribus illud impedire, vel si impedire nesciat, saltem virus suum ex obliquo in media et circumstantias, vel in finem ac intentionem ingerere, quod maxime locum habet in tyronibus viæ spiritualis.

XIII. Octava regula. Inspiratio divina omnis discretionis mater ad veras et solidas virtutes inducit, mediumque in rebus omni-

bus servandum esse statuit, et ad hoc hominem considerate illuminans suaviter impellit : motio autem naturalis et maxime diabolica discretionem nescit et medium nunquam servare consuevit, sed potius turbulenta præsumptione vel nimia abjectione hominem exagitat, fugitque medium veræ virtutis : vehementer et hoc signum ordinarie est eos qui in conversatione sua nullum medium servare volunt, gravioribus sathanæ tentationum laqueis misere captivos teneri, quo minus ad veras et solidas virtutes perveniant. Proinde patres spirituales diligenti circumspectione ad sibi commissos attendant, ut si hac muscipula detentos deprehenderint, deposita diabolica deceptione, arctissime ad medium omnium virtutum inflectere satagant.

XIV. Nona regula. Sicut tyrones viæ spiritualis et universim juvenilis impetus, quoties a Deo ad specialem quamdam vitam evocantur, ab initio vocationis plerumque medium sanctæ discretionis, maxime in mortificationibus corporalibus, excedunt, et ad extremum, præter ordinem solidæ virtutis, convertuntur, ideo illos spiritu maligno exagitari cogitandum non est; sed zelo immoderato naturæ per spiritus vitales, nostra libertas, a gratia Dei jam ex antecedenti elevata, ultra id quod intentio divina vult ad dicta extrema transferri solet. Cum enim natura nostra, etiam supposita gratia divina, adhuc plena libertate polleat, immoderata quadam spirituali disordinatione excedere potest, ut experientia constat ; proinde ignoscendum est tyronibus subinde ab initio discreta quadam indulgentia, et non nimium eorum impetus juvenilis constringi debet, donec successu temporis seipso remissior factus, per gratiam cœlestem ad temperiem redigatur.

XV. Decima regula. Et Si Spiritus Sanctus ordinarie regulis prudentiæ et discretionis, ut dictum, conformiter spirans, hominem in vitæ hujus conversatione dirigere soleat, iisdem tamen

interim ita alligatus non est, quin extraordinario modo et via mirabiliori eos nimirum homines dirigat, quos vel ad magnas et extraordinarias virtutum operationes, vel ad mirabilia opera gloriæ suæ instrumenta prædestinare suæ sanctæ voluntati placuit. Probandi tamen in multum diuque hujusmodi homines sunt per oblata humilitatis, patientiæ et obedientiæ varia exercitia, an in veritate Spiritu Dei extraordinario agantur, vel e contra malo vanitatis, curiositatis et indiscretionis superbiæque genio impellantur : spiritus enim bonus etiam extraordinarius humilitatem, patientiam et obedientiam non excludit, quin potius interius edocet, tanquam characteres suæ præsentiæ et sanctæ motionis ; e contra si quis contra hæc tria constanter et pertinaciter, etiam extra passionem humanam, recalcitraverit, dixeritque se Spiritu Dei extraordinario agi, talem in tenebris ambulare et vanitatem in eo esse merito judicari debet.

XVI. Undecima regula. Sicut Deus immutabilis est, ita in iis ad quæ hominem afflatu suo sancto excitat, constanter spirat, et perficit opus suum, atque de virtute in virtutem progreditur, si modo anima nostra cooperetur : naturæ e contra et sathanæ motiones inconstantes sunt et vagabundæ, animæ inquietudinem ingerunt, et dum omnes virtutes otiosa quadam pigra et turbulenta præsumptione simul stringere animæ cupiditatem faciunt, eidem tædium bonorum operum et nauseum ad exercitium virtutum, quod laboriosum est, creant, et nunc hoc, nunc illud bonum opus tœdiosum amarumque animæ reddunt, ad varia inducunt, et nihil proficiunt; vagantur de uno exercitio in aliud, et saporem cœlestium bonorumque operum tandem animæ eripiunt, ut ita nunquam ad unius solidæ veræque virtutis ordinem deveniat : dum enim piger omnes virtutes sine assensu laborioso simul stringere vult, nullam complectitur. Contra hanc naturæ et diaboli deceptionem unusquisque sibi vim inferre debet, et passiones suas spirituales sic cohibere, ut in omni humilitate, patientia et longanimitate constantissime iis insistant, ad quæ semel divinitus

fuere moti, et ita, ordine debito, de virtute in virtutem, et de uno exercitio bonorum operum in aliud, considerata circumspectione et consilio progrediantur; quod est principium primum in via spirituali.

XVII. Duodecima regula. Spiritus Sanctus quandoque animæ instillat desideria aliquot, quæ tamen ob arcanum Divinæ providentiæ consilium effectum non obtinent, ut ita quem multum diligit, plurimis non solum operibus, verum etiam desideriis et voluptatibus bonis saginatum ad cœlestem gloriam præparet et invitet; quod diligenter notandum est, ne existimemus omnia debere in effectum deduci, et in defectu executionis contristemur, aut nos a maligno spiritu in contrario eventu esse deceptos existimemus. Tunc autem hujusmodi spiritus inefficacis desiderii ac impulsus esse aut fuisse noscitur, quando ipsummet desiderium brevi exspirat, et, quamvis redeat, ad opus tamen singulariter non moveat; vel denique si media ad illius executionem necessaria nunquam efficaciter a Deo porrigantur, aut, si media accipiantur, per ea tamen homo finem illius propositi non consequatur. In his omnibus signum est bonum Spiritum non opus ipsum, sed voluntatem et desiderium, quod pro opere reputat, voluisse.

XVIII. Decima tertia regula. Inspiratio Divina hominem post lapsum inclinat ad humilitatem, et sui ipsius contemptum timoremque Domini excitat, erigitque ad spem et ad pœnitentiam, vel ex timore Dei aut beneficiorum divinorum recordatione, aut denique ex deformitate peccatorum futurorumque suppliciorum metu fortiter impellit et erigit, ut in fortitudine majoris spiritus et detestationis peccatorum ob Deum offensum, in amore Dei ad Deum ipsum uti patrem recurrat et resurgat: motio e contra naturalis mala vel diabolica ad perseverantiam in peccatis per quandam falsam securitatem et conscientiæ quietem inducit, aut ad desperationem furiosa quadam turbulentia exagitat, affectum bonæ voluntatis exasperat, intellectum obnubilat, et fontem lachrymarum obduratione cujusdam confusæ mentis intercludit;

unde erectionem animi ad misericordiam Dei et divinam spem prorsus opprimere conatur, ne anima in lachrymas et compunctionem resoluta humilietur, erigatur et resurgat. Proinde patres spirituales diligenter attendant ut suos post lapsum consolentur, et non permittant ullo modo in atris cogitationibus, tristitia, pusillanimitate et fluctibus turbationum animi involutos jacere, sed ut cum odio peccatorum commissorum cito, in fortitudine spiritus, ad puriorem humilioremque vitam, cujus gratia divina sapientia ordinarie lapsus graviores maxime carnis in nobis permittit, per gratiam Dei se erigant.

XIX. Decima quarta regula. Tametsi bonus spiritus animam nostram ea modestia muniat qua visitationes suas et bona opera ab hominibus abscondere diligit, eaque passim sciri aut sponte revelare vehementer erubescit; nihilominus tamen patri spirituali et aliis, ex quorum directione salus et profectus vitæ nostræ in hac vita dependet, in libertate filiorum Dei totum cor libenter pandere, et ad hoc faciendum animum inducere solet, ne anima a maligno spiritu decipiatur. Malus e contra genius naturæ et diaboli lucem fugere, et sicut vespertilio ab humano die se suasque internas machinationes abscondere consuevit; quatenus sic fraudes et deceptiones, in quarum labyrintho miseras animas sæpe multis annis, et non raro etiam usque ad perniciem captivas tenet, vel saltem a majori profectu solidarum virtutum impedit, non detegantur. Et in hoc similis est malignus spiritus nequissimo cuidam amatori, qui puellam honestorum parentum filiam, vel uxorem viri alicujus probi volens seducere, summopere curat ut verba et consilia sua occulta sint. Proinde primum principium profectus et salutis patres spirituales ordinarie esse ducant, ut clientes spirituales ipsis interiorem hominem in iis quæ oportet concredant, et visitationes suas ac animi motus, qui alicujus momenti fuerint, fideliter adaperiant, ne neglecta obedientia et consultatione Superioris, se ipsos dirigere et internos animi motus abscondere præsumant.

XX. Decima quinta regula. Quibuscumque homo donis cœlestibus in hac vita dotatus illuminetur et agatur, et in quocumque sanctitatis et perfectionis gradu existat, quamdiu tamen est in hac vita, indiget superiori directione, et verus ejusmodi hominis spiritus nequaquam obedientiam et dictam directionem excludit, hoc ipso quod divina gubernatio velit ut homo per hominem instruatur, et in conversatione sua, quantumcumque alta etiam, dirigatur. Proinde suspectum merito patribus spiritualibus esse debet, si quis Superiorum directionem neglexerit, aut ea non indigere, ex hoc quod a Spiritu Sancto sua omnia immediate dirigantur, aut quod extraordinario modo ducatur, quem alii non intelligant, præsumpserit.

§ II. De Spiritu cœlestium consolationum et oppositarum desolationum ac tentationum.

XXI. Homines qui in peccatis obdurati callum quoddam conscientiæ obduxerunt, sicut divina consolatio plerumque justissime deserit, ita malignus spiritus in naturali pace et falsa tranquillitate conscientiæ quietos vivere permittit, et, de spolio jam quasi capto triumphans, singulares tentationum molestias non immittit.

XXII. Illis qui quidem in peccatis nondum obdurati facile tamen lethaliter peccant, et peccatum peccato per relapsum addunt, fere solet inimicus noster illecebras carnis et sensuum delectationem objicere, quatenus sic eos de peccato in peccatum traducat, quousque eorumdem insensibilitatem quandam contrahant, ut saltem in continuo relapsu captivi teneantur: Spiritus vero bonus e contrario conscientiam illorum pungit, et synderesis rationisque officio a peccando deterret, aut subinde, immisso cœlestium etiam bonorum gustu, ad serviendum Creatori suo leniter demulcet, unde peccatores servilis vitæ suæ pertæsi fiunt.

XXIII. Aliis vero hominibus qui se a vitiis et peccatis sollicite purgare et pro honestate abstinere student, atque in divino obsequio magis et magis in dies radicantur, ingerit malignus spiritus molestias, scrupulos, tristitias, tædia, tentationes, rationes falsas et alias id generis tentationes, quibus aut profectum illorum impediat, aut ab obsequii divini studio omnino absterreat. Spiritui autem bono ex opposito proprium consuetumque est recte agentibus animum ac vires addere, post desolationes consolari, post tenebras suaviter illuminare, devotionis lachrymas ciere, defectus in spe sancta corripere, et post turbinem tranquillitatem dare, ut expeditius alacriusque per bona opera semper ultra tendant, euntes de virtute in virtutem.

XXIV. Porro spiritualis consolatio duplex esse noscitur. Una est voluntatis, qua per internam quamdam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec jam creaturam ullam nisi propter ipsum diligit ; item quandoque etiam lacrymæ amorem illum provocantes, sive ex dolore de peccatis profluant, sive ex meditatione passionis Christi, aut beneficiorum Dei, sive alia ex causa qualibet in Dei cultum et honorem recte ordinata. Consolatio quoque dici potest fidei, spei et charitatis quod libet augmentum, quod Deus in anima suî amante per suam visitationis gratiam suscitat; item lætitia omnis quæ animam ad cœlestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quietem et pacem cum Domino habendam solet incitare. Altera est intellectus, cujus illustratione mire anima afficitur, et in alicujus supernaturalis veritatis consecutione ac intuitu delectatur, et suaviter in prima veritate inhærendo acquiescit.

XXV. Spiritualis e contra desolatio ex opposito etiam duplex est. Una voluntatis sive affectionis, quæ ariditas et torpor rerum cœlestium vocari potest ;. item instigatio ad res infimas seu terrenas, omnis denique inquietudo et agitatio sive tentatio trahens in diffidentiam de salute et spem charitatemque impugnans.

Altera intellectus, quæ est animæ obtenebratio, confusio et conturbatio quietis intellectualis ac claritatis, abstrahens à prima veritate et rerum cœlestium contemplatione et intuitione. Quarum utraque se anima tristari, tepescere ac torpere, amaricarique et tenebris involvi, deque ipsius Creatoris Dei sui clementia non tam firmiter sperare, et præsentem ejus gratiam quasi ablatam esse amare sentit. Sicut enim consolationi opponitur desolatio, ita etiam quæ ab utraque oriuntur cogitationes et affectus, sunt inter se prorsus opposita.

XXVI. Etsi malignus spiritus in anima ineptam lætitiam excitare possit, veram tamen consolationem spiritualem in illius facultate non esse noscitur, ut proinde nemo de divino spiritu dubitare merito debeat, nec possit, quotiescumque in se spirituales consolationes supradicto modo vere experitur. Porro inepta lætitia, quam a malo spiritu per modum consolationis excitari posse diximus, in hoc evidenter discernitur a divina consolatione, quod hæc ad divinum obsequium et virtutum honestatem impellat, aut in adversis fluctibus tentationum animam dulciter demulcendo erigat; illa vero ad res terrestres inducat, et vera consolatione destituat. Hujusmodi falsa consolatione malignus spiritus mundi hujus amatores, et religiosos regularum suarum neglectores captivos tenet, quos non solum in naturali felicitate et libertate conscientiæ relinquit, verum etiam ut in voluptatibus et peccatis suavius pergant, frequenter præsumptionem spiritualem et ineptam lætitiam in eorum animis excitare solet. Unde videmus quosdam in omnibus quæ carni inserviunt et quæ mundi sunt, lætitia et hilaritate exsuperare; et e contra servos Dei in iis maxime contristari et desolari, quod signum est hos spiritu bono regi, illos vero spiritu maligno exagitari.

XXVII. Tempore quo anima desolatur, nihil deliberandum aut innovandum est circa propositum animi, aut vitæ statum,

sed in iis fortiter et indubitanter perseverandum quæ fuerant prius constituta, puta præcedente tempore, die vel hora consolationis et quietis. Neque etiam spiritualia negotia seria alicujus momenti tunc discutienda assumentur, sed ad inferiora humilitatis aut alterius virtutis exercitia homo se dimittet, aut indifferenter habebit, donec transeat desolatio, et redeat pax serenæ mentis. Quemadmodum enim dum fruitur quis consolatione illa, non ex proprio suo, sed boni spiritus instinctu homo regitur ; ita obversante sibi desolatione, agitatur à malo spiritu, cujus instigatione nihil unquam recte deliberatur, aut conficitur.

XXVIII. Tametsi desolatione affectus homo propria sua consilia minime debet immutare, expediet tamen provideri et augeri ea quæ contra desolationis impulsum tendunt, qualia sunt : insistere orationi cum discussione sui, ac pœnitentiæ aliquid assumere ; quæ licet secundùm sensibilem spiritualem gustum de præsenti arida videantur, et animæ amara cadant, mire tamen frangitur vis desolationum, si per patientiam et mortificationis studium contra torrentem earum nitamur.

XXIX. Quando desolatione vel tentatione premimur, minime cogitandum est divinam gratiam nobis subtractam esse, sed nos interim a sensu sensibilitatis spiritualis ablactatos a Domino nobis ipsis quodammodo probationis causa relinqui, ut per relictas vires insultibus inimici nostri obsistamus ; idque possumus haud dubie, assistente nobis ingenti præsidio Domini, licet tunc nequaquam sentiatur, eo quod fervorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit, relicta nihilominus gratia quæ ad bene operandum et ad consequendam salutem satis esse queat.

XXX. Proinde anima, desolatione urgente, quantum potest se humiliet, et in abyssum nihili sui abjiciat in conspectu Dei, seque ad inferiora et humilitatis plena exercitia demittat, quæ malignus spiritus vehementer fugere consuevit. Mire juvat etiam hominem tentatione pulsatum patientiæ servandæ studium,

utpote quod vexationibus hujusmodi proprie opponitur et e diametro resistit. Assumenda etiam est spes et cogitatio brevi adfuturæ consolationis, si præsertim per sanctos conatus, in octava regula signatos, desolationis impetus frangantur.

XXXI. Causæ desolationis tres sunt proximæ. Prima, quia propter nostram in spiritualibus studiis seu exercitiis tepiditatem atque acediam consolatione merito privamur. Secunda, ut probemur quinam simus, et quomodo in Dei servitium et honorem absque præsente quodam consolationum donorumque spiritualium stipendio nosmet ipsos impendamus. Tertia, ut certi plane simus nostrarum virium non esse vel acquirere vel retinere fervorem devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrymarum, aut aliam quamlibet consolationem; sed omnia hæc gratuita esse dona Dei, quæ si vindicemus nobis ut propria nostræ industriæ, superbiæ et vanæ gloriæ crimen non sine gravi salutis periculo incursuri sumus.

XXXII. Tempore ferventis consolationis homini perspiciendum est quo se pacto gerere poterit desolatione deinceps occurrente, ut jam inde alacritatem et robur animi mature comparet, ad impetum ejus expellendum. Ille idem affluente consolatione se ipsum deprimat ac vilifaciat quantum potest, reputando secum quam imbecillis quamque ignavus sit desolatione impugnante, nisi per gratiæ et consolationis divinæ opem cito sublevetur. Contra vero ille quem desolatio vel tentatio molestat, æstimare debet se posse plurimum mereri, facileque adversarios suos omnes devicturum esse, dummodo in Dei virtute collocet spem suam et animum suum corroboret.

XXXIII. Quamvis in omni desolationis tentatione homo nihil de seipso præsumere, sed de victoria sancte merito timere debeat; mire tamen malignum spiritum anima nostra propulsabit, si insultus ejus, divinæ gratiæ et auxilio innitens, vilipendat, contemnat, et in fortitudine spiritus heroicaque dissimulatione ita

se gerat, ut malignus spiritus minime notet quam vere anima angustietur, aut insultus ejus sentiantur, sed magis se in omnibus contemni manifeste videre debeat. Hostis enim noster naturam et morem malæ et rixosæ mulieris, quoad imbecillitatem virium et animi pervicaciam furoremque, refert. Hæc enim nacta virum circumspicit quomodo animum ipsi eripere et dominari valeat. Audet aliquid, et vires suas omnes exerens pugnis et fustibus virum aggreditur. Quod si vir succumbens victoriam amittat, mulier videns virum inferiorem et timidum sæpius aggredietur, et tanquam mancipium habebit in vita sua. Si autem e contra vir mulierem hujusmodi tentantem insigniter verberibus contundat, et floccipendat ejus insultus et furorem, in omni vita sua nihil hujusmodi facile in virum, quem fortem et longe superiorem esse probe sensit, attentabit. Sic malignus spiritus imbecillitatis suæ facem omnem contra hominem exerit, ut ipsi dominetur, aut saltem molestare possit : proinde tentat, et intentatum nihil relinquit. Quod si prima vice, secunda et tertia advertat animam non curare, sed floccipendere; et semper se, bene divinis verberibus contemptus et resistentiæ contusum, ex bello suo orcum repetere coactum fuisse, a tentatione desistet, et invidens merito militis Christi, facile non redibit: aut si suo tempore redierit, similiter exceptus turpius discedet, et relinquet tandem hominem in illo genere intentatum. Quod si vero astute auscultans notet animam in ejus insultibus angustiari et eos sentire, furiosius bellum suum prosequetur, videns se proficere; et quo plus sentire hominem viderit, plus etiam et eo usque molestabit, donec vel victoriam faciat, vel per dictum contemptum ab anima sic erudita fugetur : quod patres spirituales in regimine animarum diligenter notent.

XXXIV. Solet Divina gratia eos quos ad aliquod speciale virtutum culmen et perfectionis majorem gradum in hac vita deducere decrevit, occluso ostio graviorum tentationum ordinarie ab initio imbre cœlestium consolationum superfundere, quousque in

divini obsequii studio sufficienter roborentur, capacesque fiant sine stipendio hujusmodi consolationum Creatori suo rationabile obsequium præstare, et in aperto campo contra hostium suorum insultus pugnare fortiter. Tempore postmodum quo Deus voluerit, paulatim animam a teneritudine consolationum divinarum ad sectandas solidas humilitatis, patientiæ et abnegationis propriæ virtutes, ablactare consuevit. Et in hoc similis est divina gratia cuidam matri ac nutrici, quæ modo genitos suos infantes tenero lacte enutrit, quos, postquam robustiores facti sunt, ad solidos cibos dimittit. Ita fere gratia divina cum suis tyronibus assolet facere; quod patres spirituales diligenter notent. Ex hoc enim principio non solum præsumptiones, verum etiam ingentes scrupulos, in quos dicto modo ablactatæ animæ subinde labuntur, eripere poterunt, si ipsis persuadeant neminem ex abundantia dictarum consolationum sanctiorem, aut ex earumdem subtractione a Deo reprobatum et ipsi offensum existere.

XXXV. Post consummatum supradictum spiritualis infantiæ statum, hominem jam in sapientia et gratia proficientem quasi sibi ipsi Deus relinquit, ut in sustinenda ariditate, tentatione et omnibus adversis eam soliditatem paulatim induat, qua prorsus inseparabilis ab obsequio et charitate Dei efficiatur. Redit tamen cœlestis consolatio in tempore suo secundum instantiam fragilitatis cujusque, ne deficiamus : non enim permittit quemquam tentari aut desolari supra id quod possumus portare. Proinde in statu proficientium divina consolatio vadit et redit secundum vices, ut homo separetur semper magis ab amore proprio etiam spirituali, quem in divina consolatione quærere potest.

XXXVI. Nemo existimare debet se eo perfectiorem amoris Dei gradum esse consecutum, quo majori divinarum consolationum, maxime in primo infantiæ spiritualis statu, copia affluit : ordinarie enim contingit ut hi magis in amorem proprium, quam purum Dei beneplacitum et servitium occulte ferantur,

magisque proprium suum interiorem et spiritualem hominem, quam Creatoris voluntatem quærant. Regula qua hoc ipsum anima nostra deprehendere potest, sequens est : Quod si preces et exercitia spiritualia, quæ tempore consolationum cum summo gustu peragere consuevit, in iisque sibi tota in amorem Creatoris sui exardescere videbatur, etiam tempore ariditatis, desolationis et tentationis, in solida constantia, patientia et abnegatione proprii sui spiritualis gustus, in obsequium purum et beneplacitum Creatoris sui perficiat, signum est defœcati amoris Dei; si vero e contra tempore dictæ ariditatis, desolationis et tentationis, paulatim unum exercitium post alterum negligat, et ab obsequio Dei deficiens, ad res terrenas et earum oblectamenta etiam licita convertatur, signum est inordinati amoris proprii, quo in consolationibus divinis proprium suum hominem spiritualem magis quam Creatorem quæsierat, hoc ipso quod cessante earum stipendio in illius servitio flacescat et deficiat.

XXXVII. Duplicis generis homines in hac vita esse cernuntur, quos Deus tanquam primogenitos præ cæteris diligere consuevit. Primi generis, quasi primitiæ Agni sunt, quos non solum ab omni vento urente peccatorum et tentationum præservans, sua protectione in hac vita circumvallat, verum etiam torrente voluptatis cœlestis potat, omnibusque spiritualium gratiarum ornamentis ab initio usque ad finem tanquam sponsam suam dilectam mirabiliter exornat; tales fuere S. Maria Mater Domini, S. Joseph ejus Sponsus, S. Joannes Baptista Præcursor Domini, S. Joannes Evangelista, et forte alii. Secundi generis Deo dilecti ii esse cernuntur, quorum non solum omni genere tentationum, ærumnarum, persecutionum, laborum, naturaliumque passionum vitam omnem plenam esse permittit, verum etiam gratiam suam sensibilem ita moderate suspensam et a sensibili consolatione effecatam esse facit, ut cum summa difficultate ad summas etiam virtutes et maximum meritorum culmen pertingant.

XXXVIII. Nemo sibi imaginetur se via ordinaria in suavi culcita divinarum consolationum ad solidas virtutes posse pertingere, sed potius ad amarum absynthium plurimarum tentationum et vicissitudinum animam præparet : permittuntur enim à Deo tentationes, vicissitudines passionesque, ut depurentur virtutes. Proinde vere cogitandum est, quotiescumque insultum alicujus passionis ac tentationis contranitentem alicui virtuti frangis, toties te incrementum in illa virtute facere, et gradum altiorem ascendere; unde signum est, eum, qui multimodis varie ad probationem tentatur à Deo, ad multas et insignes virtutes evocari. Experimentum enim variarum tentationum et passionum, schola optimaque magistra oppositarum virtutum esse indubitanter noscitur. E contra qui hujusmodi vices contrariorum non patitur, ordinarie ad solidas virtutes non perveniet; sed ad levioris pugnæ cursum et præmii coronam destinatus est : sicut enim ignis, etsi in silice lateat, nisi tamen excutiatur, non ardebit; sic in homine justo latent quidem virtutes, sed accensæ non fulgebunt, nisi per varias adversitates excutiantur.

XXXIX. Solet imitari malignus spiritus in tentatione belli ducem, qui in oppugnatione civitatis aut exercitus oppositi debiliorem partem aggreditur, ut de suo hoste facilius triumphet; sic ille exploratam habens totam naturam nostram, debiliorem partem aggreditur ; puta, contra illam virtutem contrariis tentationum insultibus infestare, in qua anima nostra minus exercitata et solida adhuc ad contrarium et oppositum ejus vitium magis inclinat : v. g. si quem videt occultis affectibus erga pulchritudinem corporum involutum adhuc in castitate titubare, fortius contra illam instat, et machinationes suas contra struit, et sic de aliis. Contra maligni hujus spiritus astutiam debet anima uti consilio prudentis civitatis aut belli ducis, qui sic oppugnanti contrariis etiam et oppositis viribus obviat ; scilicet ad debiliorem illam partem in qua oppugnamur, omnes vires suas anima convocet; puta, diligenter contra vigilet, ad illam attendat, frequenter

insultus frangat, conterat, seque tam antecedenter quam consequenter et in agonia multum exerceat oratione, meditatione lectione, et aliis exercitiis contra muniat, quæ tanquam proportionata media ad conservandam illam virtutem magis conducere censentur.

XL. Ut malignus spiritus subinde ab aliqua virtute aut exercitio spirituali cui invidet, et in quibus hominem mire proficere animadvertit, traducat, solet etiam more ducum belli peritorum diversiones facere ; puta, illum aut furioso quodam impetu tentationum irruere, aut lenociniis rerum terrenarum animum contra occulte demulcere, aut negotia sæcularia nimia et inordinata inclinatione et sollicitudine ingerere, aut ad alia exercitia spiritualia, quæ alta et majora esse persuadet, animum divertere, aut denique tædio contra illud cui invidet afficere ; quæ omnia non alio fine mille artium et fraudum architectus facit, quam ut a vero virtutum affectu, quem summe odit, ad inutilia, impossibilia, aut nociva diversionem faciat : qui sathanæ laqueus constantia et animi fortitudine prudenter rumpi debet ; quod fiet, si anima non alta et terrena sapiens in omni humilitate, patientia et longanimitate virtuti propositæ insistat, et ab hujusmodi inspirationibus moveri se non sinat, omniaque sua cum consilio prudentis confessarii aut superioris instituat.

§ III. De principiis et regulis discretionis, quibus informamur contra nequitias ipsius concupiscentiæ carnis, etc.

XLI. Etsi radix malorum concupiscentiæ post corruptelam peccati primorum parentum in ipsa nostra natura rebellis et quodammodo exasperata et sauciata præexistat, prout tamen diversimode ad luxuriam actualiter movemur, id ex diversis ostiis principiisque malis contingere potest, quorum omnium malignus spiritus et impostor pessimus princeps esse consuevit ; qui, quantum ipsi Deus permiserit, more alicujus belli ducis

nihil intentatum relinquens, diversimode castrum innocentiæ expugnat, ut turpidinis suæ intentæ victoriam reportet: quamvis non raro etiam tentationes carnis naturales sint, et nostra culpa eveniant. Quibus omnibus e diametro spiritus bonus contradictorie adversatur, qui non nisi omnis casti consilii author et mediator optimus esse novit.

XLII. Non solum ad reportandam laureolam finalem virginitatis, verum etiam ad facile servandum cœlibatum in quocunque statu, præsidium certe singulare civitasque munita fuerit, si homo primam suam innocentiam ac naturalem integritatem sui corporis incorruptam sine defloratione statui illi in quo sub vexillo continentiæ Christo militare proponit, attulerit : e contra quibus florem hunc in juventute tenera, vel decursu temporis crescente ætate in sæculo pruina libidinis abstulit, aut quibus consuetudo carnis antecedenter dominata fuit, ii etiam ordinarie in cœlibatu suo graviores insultus carnalis libidinis patiuntur, et frequenter etiam salutem suam in hoc scopulo elidunt, nisi gratia et custodia Dei speciali severiorique vitæ rigore adjuti, et extra pericula positi circumvallentur; proinde homines hujusmodi, qui mollitiei aut alterius vitii carnis consuetudinem contraxerunt, facile ad statum Clericalem, nisi specialis gratia vocationis appareat, non recipiantur, sed persuadeantur ut vel nubant, vel strictiorem vitæ rigorem in aliquo monasterio amplectantur; cum ordinarie tales miseri cum maximo subinde tam proprio quam ipsiusmet status damno ad vomitum suum redeant.

XLIII. Hoc callide prævidens malignus spiritus instar alicujus accipitris huic columbæ primæ juvenilis innocentiæ ac castitatis vehementer insidiatur, ut ipsius corruptelam, si non peccaminosam, saltem naturalem obtineat, quam etiam in parvulis ante perfectum usum rationis obtinere nititur. Scit enim pessimus impostor, etsi tunc forte peccari non possit, si tamen hac contagiosa lue caro tenera contrectata inficiatur, non modo ad peccandum

etiam tunc quando usus rationis paulatim ascenderit januam apertam esse, sed magis hujusmodi hominis naturam per hoc deturpari ac destrui sic posse, ut in omni decursu vitæ suæ talis miser existat, et fine consummationis propositæ, ad quem Dei et naturæ dona collimarent, miserabiliter privetur. Proinde malignus spiritus in hujusmodi seductione non tam peccatum præsens, quam naturæ destructionem et quasi infinitorum malorum seriem et bonorum impeditionem intendere noscitur.

XLIV. Etsi malignus spiritus dictam seductionem diversis modis insidiarum assequatur, potissimum tamen quatuor veluti scholæ quædam veneris notantur, in quibus ad omnia facile ductilis juventus miserabiliter depravatur : ordinarie enim vel per malam educationem et vitam scandalosam parentum domesticorumque, vel per otium, vel per malam societatem, vel denique per incautam utriusque sexus conversationem, pro dolor ! hoc contingere deprehenditur. Quibus malis ut succurratur, supposita gratia et custodia etiam Dei, salubrius medium non fuerit, quam si non solum parentes omnibus modis ad bonam liberorum educationem impellantur, sed magis si adolescentes adhuc in innocentia a sæculo abstracti educentur, omnique possibili conatu a seductione carnis custodiantur.

XLV. Porro quamvis hæc insidiarum externarum tentamenta per dictam juventutis educandæ custodiam sufficienter possint præscindi, nihilominus tamen præcaveri nequit quominus per naturam ipsam, aut malignum spiritum, illius innocentia internis animi motibus tentata subinde pulsetur, ad quorum obtinendam efficaciam malignus spiritus, instar alicujus digladiatoris, juvenili imperitia pugnandi patiendique insuetudine velut tentatione utitur, dum eorum incautos et carnalium tentationum ignaros animos aut blandiendo carnaliter ad turpitudinem ex ignorantia offensionis divinæ trahit, aut vehementia importuna juvenilem fervorem ad consensum traducit, aut amore ac præsumptione falsa

facti consensus ad consummationem peccati et desperationem exagitat: unde his laqueis occurrere nescientes, frequenter, more tyronum militiæ corporalis, infensissimi sui hostis, scilicet carnis, spolia fiunt, quod sero sapientes multis lacrymis deplorant. Contra hunc diaboli dolum juventutis præsides suos clientes clypeo præscientiæ munientes, caute et prudenter, cum magna necessitate, ne per imprudentiam dicentis doceantur ea quæ scire non deberent aut periculosum foret, successu temporis de peccato carnis informent, doceantque quomodo diabolus omnem hominem tentare, et quomodo naturalis concupiscentiæ fomes instante pubertate operationes suas ac tentationes exercere non omittat. Interim quibuscumque turpitudinibus et motibus anima nostra pulsetur, peccatum tamen nunquam esse, nec esse posse, quamdiu consensum nos non præbemus : proinde contra omnes tentationes alacri fortitudine pugnandum, omnemque spem nostram in gratia Dei esse collocandam.

XLVI. Tametsi servata hac externorum sensuum custodia, difficile non fuerit internas quoque animi potentias a rerum carnalium coinquinatione illibatas conservare, cum nihil sit in intellectu, quod non fuerit prius in sensu; nihilominus tamen spiritus malignus et natura ipsa per phantasiam, quæ est officina et receptaculum omnium muscarum carnalium, incasta sua consilia, instar alicujus mali seminatoris, in animum juvenilem instillando seminare conatur : quibus e diametro adversatur, si facultas intellectualis ab otio, melancholia, et vago animi stupore diligenter abstrahatur.

XLVII. In hunc finem juventutis Præsides clientes suos in hoc diligenter instruant, et si eorum animos otiosos, stuporeque aliquo vago defixos, aut tristitia oppressos quocunque modo animadvertant, discrete ab ipsis correpti ad modestiam, hilaritatemque excitentur, et in omnibus assuescant se vel in exterioribus actionibus bonitatis alicujus occupare, vel in interioribus

animum ad determinata objecta sic perpetuo applicare, ut dicta intellectualis facultas semper vel quiete aliqua, vel operatione determinata in se ordinate afficiatur. Alias enim malignus spiritus et natura ipsa tam dictum otium et vagum animi stuporem, quam etiam tristitiam bene sibi, tanquam media ad expugnandum castrum innocentiæ, usurpabit.

XLVIII. Homines etiam pietatibus dediti, qui mollioris mentis et effœminatioris animi esse, magisque sensibilibus affectibus quam rationibus duci solent, tempore desolationum, ariditatum, tristitiæ et tentationum, facile a proposito honestatis ad illecebras carnis transferuntur; quod astute prospiciens malignus spiritus, dum hujusmodi homines dictis clavis pulsat, ministerio facultatis imaginativæ illecebras carnis ita speciose depingere, earumque teneritudinem in parte sensitiva ita exacuere novit, ut pars superior prorsus convicta inferiori assentiatur. Et ex hoc capite etiam homines devotos et divinis consolationibus donatos nonnunquam in peccata carnis relabi experimur; dum, ut dixi, sensibilitatis affectibus etiam inhiantes, tempore autem tentationis eisdem destituti, stipendio carnalis voluptatis inescantur et deficiunt. Ad destruendum hunc naturæ et diaboli scopulum, juventutis directores clientes suos successu temporis sic excolant, ut in omnibus rebus magis pondere rationum quam sensibilitate affectionum etiam spiritualium ducantur, cum in iis solidior subsistentia in bono esse deprehendatur.

XLIX. Cæterum, sicut malignus spiritus non modo singularum naturarum propensionem, sed omnes etiam peccandi occasiones, locorum, temporum, aliarumque circumstantiarum rationem probe perspectam habens, diversis modis humanum genus ad flagitium carnis sollicitat, ita non unum singulis, sed diversa etiam diversis tentationibus remedia proportionata applicari debent; et ideo patres spirituales universim sibi subditos principiis spiritualibus maxime in hac materia eatenus instruant, quatenus urgente qua-

cunque tentatione, arma contraria et proportionata remedia prudenti discretione opponere sciant; ex quo capite multum pendet ut victoriam contra tela nequissimi ignea per gratiam Dei reportemus.

L. Quoniam temperantia ciborum et potus universim ad continentiam subfulciendam necessaria existit, hinc homines, præsertim qui natura ad vitium carnis proniores, aut consuetudinem peccandi in hoc jam contraxere, ad faciendam victoriam et subsistendum in perseverantia contra tyrannidem libidinis sine ea frustra conantur. Cum enim universim gula veneris vehiculum sit, indulgentia immoderata corporis, naturalis scaturigo infestationum carnalium et relapsuum esse evidenter ex hoc ipso noscitur quod concupiscentia nostra similitudinem ignis præ se ferat; qui etsi modica subinde et sopita sit scintilla, nactus tamen suum nutrimentum, in maximum incendium, quod sæpe amplius non valet extingui, erumpit : ita sane concupiscentia pabulum suum quo immoderatius ac majus in homine nacta fuerit, in majorem etiam periculosioremque flammam et libidinis stimulos exardescens, homines etiam pios frequenter ad lapsum incitare consuevit. Unde multi post tot seria proposita, fusasque lachrymas et preces ac adhibitos conatus, nihilominus adhuc sæpe relabuntur. Quibus serio inculcandum est ut temperantiam debitam, tanquam conveniens medium et huic scopulo e diametro oppositum, assumant, et ligna igni subtrahant; et tum æstus libidinis cessabunt, quibus ita aduruntur : frustra enim omnia alia remedia adhibebit quis, quamdiu causam inclinantem non sustulerit, in qua ulcus radicatur.

LI. Porro frequenter contingit ut homines quos natura majori vegetiorique robore corporis et sanitatis dotavit, etiamsi gulæ specialiter non inserviant, graves tamen tentationes carnis et relapsus, maxime qui in juventute seducti hujus vitii consuetudinem olim contraxerunt, ex ordinaria etiam et ordi-

nata mensa in decursu conversionis suæ patiantur, quod amaris lacrymis sui ipsorum miserentes deplorant, et angustiati sibique ipsis graves tandem nesciant quodnam remedium contra amplectantur. Hujusmodi miseris hominibus firmiter persuadendum est, quatenus diligenti circumspectione et memoria ad sensualitatis suæ appetitum attendant, et non solum de ordinario, quod omnibus commune apponitur, aliquid sibi detrahere sciant, verum etiam omni possibili conatu studeant ut vigorem vitalitatis ex alimentis corpori per diem accedentem, per moderatos affectus spirituales, labores, et obsequium rationabile Dei ac hominum iterum evacuent. Similiter, si quis in occasione aliqua, ultra suum ordinarium, potus ac cibi excessum fecerit, per extraordinarium laborem servitiumque Dei aut mortificationem corporalem moderatam sic compenset, ne exinde inferior homo successive affluens, et contra spiritum rebellis factus, vi sua in æstus libidinis periculosos erumpat. Proinde diligenti anima nostra vigilantia ad inferiorem hominem suum attendere, et tanquam occultum et maximum suum hostem observare debet. Similis est dictus inferior homo noster alveo fluminis cujusdam, qui, si extraordinariis aquarum alluvionibus eum repleri, aut decursum etiam ordinarium obstrui contingat, periculose exurgens habitatoribus terræ illius gravia damna minatur, et tandem ultra terminum suum inundans, omni vi erumpit, et terram devastando evertit. Ita sane in homine, proportione servata, contingere cuilibet innostecere potest. Proinde unusquisque nostrum sciat corpus suum possidere in sanctificatione et honore.

LII. Porro cum otium non solum officina sit in qua muscæ carnales mediante operatione phantasiæ excoquuntur, verum etiam concupiscentiæ supradictæ alluviones ex alimentorum viribus subministret, ideo ad constantem subsistentiam in castitate homini summe necessarium esse cernitur ut hoc pulvinar veneris prorsus à se proscribens, perpetuo se ac facultates suas honeste occupet, omnesque vires suas redundantes, instar alicu-

jus mercenarii, in domo Domini, per ignem tam charitatis Dei quam proximi, in dies heroica constantia et studio indefesso fideliter impendat. Quod omnium maxime efficax medium est, quo et exurgentes carnis tentationes naturales restringantur, et futuræ impediantur. Et hac ratione homo noster inferior similitudinem alicujus equi aut asini præ se fert, qui uterque, dum a laboribus vacantes pabulo debito perfruuntur, naturaliter ex vigore nimio vitalitatis insolescunt, et magis indomiti redduntur: e contra laborum oneribus distenti facile in obsequio subjectionis et mansuetudinis continentur. Eadem plane ratione homo noster inferior se gerit, qui moderatis tam corporalibus quam spiritualibus laboribus quotidie attritus in officio facile continetur, et spiritui subditur; e contra otio perfruens vires potiores ex alimentorum succo, etiam moderatorum, ad se in rebellionem attrahit, caputque domini sui evertere consuevit. Hinc optima regula est qua anima nostra tantum per quotidianum Dei obsequium exhauriat de viribus corporis, quantum per os sumpsit, et ita corpus et anima hoc medio sanctæ discretionis inter se bene consentientes pari passu ambulent, et instar duorum equorum currum debiti et rationabilis obsequii trahant. Ad quod Sacerdotes pro viribus conabuntur.

CAPUT III.

DE PRINCIPIIS PRACTICIS AD SALUTEM ANIMARUM PROCURANDAM.

§ I. De cura animarum habenda, et aliis officiis Ecclesiasticis in communi.

I. Quamvis ipsum Pastorale officium, ac ratio status Clericalis per se a Clericis postulet ut conversationem suam ad extra bonam faciant, ac stabilita primum, per superius statuta media, sua

æterna salute, in lucrum animarum cordialiter et ex animo totis visceribus sese effundant; nihilominus quia in hac ipsa pastorali cura sæpe sæpius mortalis infirmitas multa negligere potest, dum vel obligationis suæ latitudinem sufficienter et accurate non perspiciens ignorat, vel in superficie illius frigidi verbi *non teneor* hærens, media salutaria non semper applicat, quibus abundantius animæ Christo lucrifiunt; ideo imprimis necessarium est ut nobis in Clericali statu constitutis certam seriem vocationis præfigentes, per ordinata media in omni charitate animitus salutem animarum operemur.

II. Et cum Sancta Romana Mater Ecclesia, cujus filii sumus, statui ecclesiastico ac clericali sacramentorum dispensationem, qua sanctificatæ christianæ animæ finaliter in cœlum evolarent, omni tempore commiserit, etiam finis principalis vocationis clericalis ad extra est, tam in oppidis quam ruri, infantes baptizare, confitentes audire, et confessos communicare; sacramento item Matrimonii in facie Ecclesiæ assistere et benedicere, infirmos visitare, eosdem necessariis sacramentis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, mature providere, agonizantibus assistere et verbum salutis opportunum ingerere, signanter excitando in illis fidem vivam in Sanctissimam Trinitatem, Christum Filium Dei pro nostra omnium salute incarnatum, passum, mortuum, et surrexisse; adeoque et spem firmam in meritis passionis Christi Domini, atque charitatem erga Deum perfectam, qua, spretis mundanis omnibus, velint unice Deo vivere et mori, sive, ut S. Augustinus docet, patienter in morbis vivere et delectabiliter in Deo mori, ut æternum possint vivere cum illo ; et denique honore ultimo sepulturæ et exequiarum, prout in Ecclesia Catholica usitatum est, prosequi. Quæ omnia non in casu alicujus necessitatis per accidens, sed per se, et ex obligatione status clericalis, quatenus curæ animarum addicti sunt, præstare fidelibus tenentur.

III. Ad eum finem obtinendum, vita Clericalis, spiritualibus mediis superius positis munita, ad extra activa omni tempore existet, qua ordinarie duo, tres, vel plures ruri parochialiter dispersi ex professo ad dictam administrationem sacramentorum et universam animarum curam quam diligentissime invigilent, et omnia alia munia et officia ecclesiastica peragant, ad quæ illos Reverendissimi Domini Ordinarii in foro externo more in Ecclesia consueto assumere voluerint, sive deinde ea spiritualem, sive temporalem Ecclesiæ æconomiam concernant. Proinde Superiores in hunc finem deputati sollicite attendere debent ut omni tempore sibi commissos juvenes ab adolescentia ad officia ecclesiastica obeunda, secundum cujusque talentum, qualificatos reddant.

IV. Denique quia et sacer cantus, si pie ex puro corde proceden instituatur, tanquam fumus et odor suavitatis in conspectu gloriæ Dei procedit, chorum ac horas canonicas decantandas, prout in unoquoque loco in more positum fuerit, devote habere oportet. Maxime vero fructuosum erit ut in locis et Collegiatis Ecclesiis minoribus, in quibus tantum quædam ex horis Canonicis ordinarie decantari solent, cura animarum, ad præsentem populi necessitatem, et Sacerdotum recenter ordinatorum exercitationem, Choro annectatur : quæ duo sicut compatibilia, ita utilissime simul stare contra otium solent.

§ II. De tradenda Doctrina Christiana parvulis in Catechismo.

V. Quoniam via ordinaria fides ex auditu secundum Apostolum, quomodo autem audient nisi catechizentur ? illud Clericis curatis commendando commendatur, ut scilicet parvulorum et universæ juventutis curam in animo et opere jugiter habeant, atque lactantes eos ex uberibus christianæ doctrinæ et morum, omni possibili conatu, maxime ruri, ex naturalibus ignorantiæ tenebris ad lucem veritatis fidei et in viam sanctæ conversationis

18.

traducere elaborent. Nam hoc sibi omnes omnino persuadere debent, Juventutem non solum tabulam rasam esse, in qua christianæ veritates per diligentem curam inscribi, aut plantulam mollem, quæ in hac ætate ad omnia bona facile inflecti possit, verum etiam eam radicem et fundamentum tam præsentis quam futuræ generationis existere; ut proinde in ea excolenda omne studium cum centuplo fructu merito impendi censendum sit.

VI. In hunc finem, ad minimum singulis octo diebus per totum annum in Ecclesia propria cujusque loci ordinarie catechesis ac Christiana Doctrina, tam pro populo quam pro juventute, instituatur, in qua filiolos suos quasi modo genitos in omni charitate amanter erudiant, et instillantes singulas Christianæ fidei et justitiæ veritates, etiam ad fugienda peccata et sectandas virtutes eos impellant.

VII. Quod si Juventus copiosa sit, et districtus parochialis in longam distantiam se extendat, cujus difficultate parvuli moraliter fracti ad Ecclesiam ordinariam non accedere animadvertantur, tunc consilio uti oportet, et non solum facere quod Clerici curati tenentur, sed etiam currere post gregem sodalium suorum. Si itaque hujusmodi casu Ecclesia alia filialis per distantiam aliquam ab ordinaria in districtu illo remota existat, circa quam multæ domus, et consequenter notabilis aliqua juventutis pars circumjaceat, expedit ut unus ex Clericis curatis ad dictam Ecclesiam excurrens, catechesim etiam ibidem ordinarie exhibeat; aut si Ecclesia deficiat, in alium certum quemdam locum juventutem ac populum (quantum fieri potest) congregari faciat, et per modum catechesis in omni charitate ibidem erudiat, ut sic ad omnes verbum vitæ pervenire contingat.

VIII. Tempus pro hoc negotio utiliter persolvendo haud longius quam summum sesquihoræ deputandum videtur, quod quidem, si illud ordinarie in die Dominico pomeridianum statuatur, commodissimum erit. Similiter et catechizans uberem

fructum faciet si, debito modo et dexteritate utens, ad certum aliquod tempus constanti exercitio susceptam Juventutem erudiat; e contra multum fructus dilabitur, si catechistæ per vices aut saltem sæpius mutentur, ut proinde merito in omni loco, quantum fieri potest, constantem aliquem catechistam determinari pro certo tempore expediat.

IX. Ut vero non solum parentes ruri ad mittendos suos liberos in Catechesim impellantur, sed ut etiam Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ ab omnibus dispositis rite suscipiantur, statutam ordinariam catechesim alia quædam paschalis ac extraordinaria concomitabitur; in qua scilicet singulis diebus, per certum aliquod tempus ante paschalem confessionem, aliqua juventutis turma (ex iis qui illo anno prima vice ad confessionem aut communionem à Parocho habiles judicati sunt) ad ædes parochiales, Ecclesiam, vel alium locum magis convenientem (juxta circumstantias locorum et regionum) hoc fine destinetur, ut à catechista in suscipiendis Sacramentis, et in aliis ad eorumdem susceptionem articulis scitu dignis, usque ad sufficientiam instruantur: et hæc prævia instructio, sicuti est summe necessaria et utilissima ruri, ita etiam religioni et venerationi Sacramentorum plurimum consulere videtur, cum experientia constet plures e juventute sine necessaria scientia, et consequenter sine reverentia veluti bruta ad tam digna et tremenda Sacramentorum mysteria accedere.

X. Porro judicium de habilitate et sufficientia tam ætatis quam usus rationis ad Parochum loci spectat; illius enim tanquam Pastoris omni tempore interest ut spirituales agnos suos non negligens mature ad Sacramentorum pascua mitti curet: qui singulis etiam annis in specie parentibus demandet quos ex suis prima vice ad confessionem aut communionem mittere teneantur. Et quia experientia constat parentes liberos suos, in ea ætate in qua, etsi communionis nondum omnino capaces exis-

tant, tamen jam peccare sæpe possunt, permittere ordinarie sine sacramentis decedere, his ægrotantibus Parochi cautè provideant.

XI. Ad eos fines certius obtinendos, necesse est ut unusquisque Parochus, præter librum baptizatorum et matrimonialem, etiam in folio librum animarum habeat, in quo omnes totius sui districtus parochialis animæ hoc ordine comprehendantur, ut pro unaquaque domo ac familia, unum integrum folium ordine denotetur, et in capite illius familia ac domus describatur. Deinde dictum folium deorsum quatuor lineis distinguatur, in cujus prima cellula parentes, in secunda liberi nomine et ætate, in tertia servi et ancillæ, in quarta denique advenæ et alii domestici cum suis liberis describantur. Et hic liber quadam perpetuitate conservari potest, si scilicet singulo trimestri aut septimana ex libro Baptismali ad suas familias baptizatorum nomina et dies addantur, ex libro vero Matrimoniali novi conjugati in folio designato modo supradicto notentur. Denique si qui moriantur, solummodo cruces iis apponantur qui ex conjugatis, liberls, aut ex aliis e vita discessere. Ex hoc libro singulis annis scire Parochi poterunt an schedas confessionales patres familias cujusque domus afferant; qui obedientes, vel inobedientes in sacra paschali confessione ac communione extiterint, vel non. Deinde ex eodem libro catalogum juventutis habere poterunt, qui ad catechesim, aut ad sacram confessionem ac etiam communionem mitti merito possent ac deberent; et sic parentes, si negligentes reperiantur, mature moneri, et monitionem tam salutarem spernentes, juxta Reverendissimi Ordinarii mentem et beneplacitum, ad Magistratum deferri et puniri poterunt; et hoc modo debitam curam ovium et agnorum suorum Parochi omni tempore gerentes, in omnibus quæ ad vitam æternam scitu nessaria fuerint facillime in Domino erudient.

XII. Et quod ad modum catechizandi attinet, ille dexterrimus,

suavis et planus valdeque facilis esse debet, quo videlicet parvulis panis verbi Dei ac doctrinæ christianæ ad captum eorumdem frangatur. Proinde naturam, gestus, verba, sermonem et simplicitatem infantilem induentes catechistæ in medio parvulorum suorum, tanquam si nutrix filios suos foveat, parvulos suos in omni suavitate et amoris intimo affectu pie et humiliter instruere debent, et sic christianas veritates ac virtutes in animas eorumdem via plana instillare.

XIII. Præmissis ergo signo S. Crucis, Oratione Dominica cum Salutatione Angelica et Symbolo Apostolorum, omnes parvuli ex una parte seorsim, ex altera puellæ cum sufficiente distantia (servatis servandis pro more patriæ) sedilia sua ordine occupantes, silentium et modestiam observare assuescant. Hac compositione tam loci quam silentii facta, primo turmæ constitutæ puerorum, deinde puellarum (si unus tantum si catechista) propositum sibi caput christianæ doctrinæ tarde et clare recitare jubeantur : porro materiam quam catechista, antecedenti Dominica die, in certa puncta divisit addiscendaque proposuit, per modum quæstionum et responsionum sicut caput ipsum catechismi, aut etiam per modum narrationis repetentes, tenacius memoriæ demandabunt. Post hæc et ii audiantur qui capitis recitandi et materiæ repetendæ adhuc incapaces fuerint. Denique his omnibus sufficienter auditis, minores informentur de cognoscendo mysterio SS. Trinitatis, Nativitatis Christi, et aliorum quæ omni homini venienti in hunc mundum scitu imprimis necessaria fuerint, sæpeque repetantur propter juniores.

XIV. Tandem munusculis distributis, materiam aliam ad sequentem diem Dominicam primo quidem per modum brevis alicujus sermonis Juventuti fusius proponant ; exponatur deinde bis, ter vel quater, aut etiam sæpius in puris terminis per modum interrogationum et responsionum in pauca puncta divisa, et compendiose pro parvulis recapituletur ; et his finitis catechesim, præmisso

iterum signo S. Crucis, per decalogum et Salve Regina lingua vernacula aut vulgari claudant, omnesque in silentio et modestia e Templo discedant, nisi vesperæ sequantur, aut aliæ devotiones pro more consueto habeantur.

XV. Porro ad uberiorem e catechesi reportandum fructum et alliciendos parvulos, ut cum gustu et jucunditate tanquam convivium christianam doctrinam frequentent, sequentia documenta omnes Catechistæ diligenter observent.

XVI. Primo. Caveant ne parvulos torvo vultu aspiciant, asperis et tristibus verbis invadant, et gestibus morosis cum iis tempore illo conversentur, sed magis facie serena, hilari et jucundo aspectu, ore suaviter subridente animum juvenilem in amorem trahant, verbis dulcibus cum iis colloquantur, in omnibus gestibus et corporis compositione, tanquem mater filios suos, intimi amoris affectu omnes complectantur.

XVII. Secundo. Non facile reprehendant, ne ad tristitiam aut abjectionem animi eos adducant; omnes vero de præsenti, vel de præterito, aut saltem de futuro ea dexteritate laudare satagant, ut singuli majorem animum capientes ad discendum alliciantur; ad quod præstabit si subinde unus inter cæteros, ad aliorum majorem æmulationem excitandam, multum laude extollatur, modo qui parvulis arridere consuevit.

XVIII. Tertio. Caveant ne solummodo eos ament in externa conversatione, et in aliis rebus præferant, qui indole, ingenio et moribus valde amabiles existunt; sed morosos et durioris ingenii (sine acceptatione personarum) magis excolere, et affectibus et signis externis excitare satagant, utpote qui magis quam alii indigere videntur.

XIX. Quarto. Varia munuscula quæ pueros delectant et ad discendum magis excitant, discrete sine personarum acceptatione

bene meritis ita distribuant, ut tamen non vilescant; ad quod evitandum in distribuendo non sint progidi.

XX. Quinto. Non facile transire permittant diem Dominicam, quin eos qui recenter et prima vice catechesim frequentant, ad aliquid recitandum, aut saltem formandam crucem, præ cæteris instituant, et tam munusculis quam verbis animum illis adjiciant. Si enim prima vice inhonorati remittantur, facile dejecti a parentibus domi retinentur.

XXI. Sexto. Similiter cathechesis non transeat, in qua, post expletum cursum ordinarium maturioris juventutis, ad juniores etiam non convertatur, et illa mysteria fidei, v. g. de Deo uno et trino, de tribus beneficiis generalibus SS. Trinitatis, de Incarnatione et aliis similibus, quæ christiano homini imprimis ad salutem scitu necessaria sunt, compendiosè semper repetant. Ita enim fiet ut, si non illa altiora, saltem omnes sic successivè ad salutem necessaria addiscant.

XXII. In hunc finem catechista totam juventutem in tres turmas dividat, in quarum prima optimè proficientes, in secunda mediocres, in tertia denique infimi collocentur; et secundum has tres classes omnes optimè in Domino erudientur. Et primæ quidem classis parvuli, utpote jam doctiores, cursum ordinarium doctrinæ christianæ tenebunt. Secundæ classis vero, utpote uberioris scientiæ adhuc incapaces, in iis erudiantur quæ ad salutem omni homini venienti in hunc mundum scitu imprimis necessaria sunt. Tertiæ denique classis in formanda Cruce, addiscenda Oratione Dominica, Salutatione Angelica, Symbolo, Decalogo et aliis occupabuntur. Ad has classes, pro majori æmulatione in parvulis excitanda, bene meritos catechista ordine ascendere permittet, et tandem, omnibus probè eruditis, cum certo præmio gloriosè manumittet. Quæ omnia plurimùm ad excitandos adolescentum animos et parentum beneplacito utilissimè fient, si

sine acceptione personarum hæc constituta practicentur; et practicari facilè poterunt, si catologum ordinatum universæ juventutis catechizandæ ex libro animarum omni tempore tenuerint.

XXIII. Porò caveant ne, in sæpius dicta cathechesi, longas aut peregrinas historias parvulis enarrare, aut parvuli ad hujusmodi enarrandas ullo modo assuescant; magis vero ad discenda puncta ac repetendam propositam materiam per modum capitis coërceantur : et si historiam Catechista narrare velit, illa brevis, et non nisi de proposita materia ordinariè assumatur. Alias enim fieri solet ut quæ necessaria in christiana doctrina scitu sunt, negligantur, et parvuli debito fructu frustrati ad non necessaria convertantur, sicque tota catechesis enervata finem suum propositum minimè assequatur. Magis caveant etiam curiosa et inutilia juventuti suæ proponere, sed sanam doctrinam illi tradere satagant, quæ hominem eorum interiorem erudiat, et ad introducendas christianas virtutes apta nata esse videatur.

XXIV. Catechista postquam cum juvenibus sua expedivit, secundùm ordinem Romani Catechismi progediens, imprimis sequentem materiam per modum brevis et plani cujusdam sermonis in medium proponat; dein, pro captu parvulorum suorum, ea in numerum et modum brevissimarum interrogationum et responsionum ita redigat, ut facili negotio totam materiam post octiduum repetere, aut saltem singula puncta seorsim recensere valeant. Et hæc non semel atque iterum, sed sæpius repetantur ab uno vel altero doctiore, et recenseri curet, ut sic cæteri, etsi non integrè intelligant, facilius saltem in puris terminis memoriæ tradant, et suo tempore maturiores facti, ex concionibus in idipsum institutis pleniori sensu intelligentes comprehendant. Quo faciliori negotio etiam christiana doctrina inculcetur, catechista eam similitudinibus et per res sensibiles declarare studeat, quarum intuitu juventus res spirituales intelligere et facile etiam memoria retinere solet.

§ III. De Scholis Vernaculis instituendis.

XXV. Cum porro ab exercitio Scholarum non solum mores et politia civilis populi, verum etiam christiana doctrina ac catechesis, ut cum debito fructu decurrat, plurimum dependere soleat, perutile erit si Archipresbyteri, Decani et Parochi aliique Superiores omni possibili modo circumspicientes laborent, ut tam ruri quam in civitatibus scholæ vernaculæ sive parochiales instituantur, in quibus parvuli in principiis christianæ fidei, pietate, morum honestate, et in legendo ac scribendo pro singulorum capacitate informentur, et institutas ad debitam utilitatem vigilanter perpetua cura dirigant. Quod negotium sicuti jam alias per se ad Parochos pertinere censetur, ita inter primas pastoralis vocationis curas ad extra fuerit providere ut scholæ saltem vernaculæ ubique locorum utiliter habeantur.

XXVI. Media temporalia quibus in iis locis ubi prædictæ scholæ institutæ nondum existunt noviter erigantur, esse poterunt sequentia. Primo, si Ecclesia loci eam reddituum copiam in fixo habeat, quæ, salva fabrica sua et aliis necessariis, non gravata ludimoderatorem alere posse censeatur. Parochus loci ad Reverendissimi Ordinarii beneplacitum, cum Magistratu seculari pro hujus rei necessitate et utilitate amicabiliter conveniens, scholarum exercitium introducat. Secundo, quod si ex integro Ecclesia prædictum ludimoderatorem sustentare sine notabili incommodo non valeat, Parochus aut alius Superior Communitati illius loci scholarum itidem necessitatem et utilitatem debita dexteritute exponens, eam ad pendendam certam pecuniam aut frumentum persuadeat. Tertio, ad meliorem ludimoderatoris sustentationem, de nuptiis, funeralibus et in aliis Ecclesiasticis functionibus tolerabilem quamdam mercedem per legitimos Superiores constitui curet. Nam sicut hujusmodi communes pensiones Communitati non adeo graves cadunt, ita integra Communitas

spiritualia indè emolumenta vicissim capit. Quarto, in casu quo hactenus dicta media defecerint, Superiores competentes bonam suam intentionem, quam præcisè erga Rempublicam gerunt, Principibus aut aliis Superioribus locorum humiliter intimare, et præsentem necessitatem exponere poterunt, ad quos denique spectabit benignè in Domino providere.

XXVII. Quantum præterea humanitus possibile fuerit, curæ animarum præpositi saltem in potioribus ac Parochialibus Ecclesiis, organum fieri curent, et consequenter in iis locis hujusmodi ludimoderatores instituere circumspiciant, qui saltem pulsando devote organum christiani populi corda demulcentes ad pietatem et ardorem animi sub sacro permoveant. Plurimum enim ad excitandos pios animorum affectus in christiano populo devotam musicam conducere constat; ad quod multum addens accedit si cantus choralis devote et uniformitate bene mensuratus in Ecclesia decantetur, quod Parochi à ludimoderatoribus suis imprimis per debitam obedientiam constanter obtinere laborent.

XXVIII. Vitam ludimoderator immaculatam agat, qua, juxta Parochum suum, et juventuti et populo christiano sine crimine præluceat. Non sit multo vino serviens, non parasitus, non morio, sed sobrius, castus et modestus, Juventutis curam habeat, et scholas diligat. Similiter et cæteri cantores, æditui, et quique alio modo ministri domus Dei in officio aliquo existunt, sobrii sint, casti et pudici, modesti et moribus integris; non tolerentur ebriosi, furiosi, scurræ, parasiti, moriones, multo minus impudici, sed eliminentur, nisi ex animo pœnitentiam agentes emendare se satagant; non enim reddi ratio potest, si in ministerio domus Dei, etiam minimo, polluti homines vivere permittantur.

XXIX. Exercitium scholarum sic ubique institui poterit, ut tempore antemeridiano ab hora media octava usque ad decimam (finiendo duabus horis ante meridiem) et pomeridiano, a media prima usque ad tertiam (finiendo hora tertia post meridiem, aut pro

diversitate ac consuetudine regionum tardius in æstate incipiendo et finiendo) ludimoderatores juventutem instruant. Cæterum sæpius Parochi et Decani visitantes curam habeant ut ludimoderator illud tempus utiliter in juventute sedulo instituenda impendat : torpentem subinde animadvertentes, piis monitis et proposito a Deo præmio excitare allaborent, et si amicabiliter verbis bonis non acquiescat, severe illum sub obedientia et comminatione amittendi servitii ad diligenter faciendum suum officium coerceant.

XXX. Modus docendi communis esse potest ut duas lectiones singulis scholis habeant; et quidem ante meridiano tempore litteras scriptas addiscant, quarum primam lectionem, quam domi discere debebunt, postquam ad scholas veniunt, elapso circiter uno quadrante, quo secum repetentes reviderint, ordine recitabunt; et si sufficienter calleant, alia in ipsis scholis addiscenda a ludimoderatore discrete determinentur. Auditis vero et iterum præscriptis singulorum lectionibus, scriptiones suas ordine ostendant; quorum errata Magister diligenter corrigens, simul in omni charitate parvulorum manum ad semper meliorem characterem formandum traducere conabitur; et, recepta sua scriptione, unusquisque in silentio ad locum suum vadens præscriptam lectionem diligenter addiscat : tandem postquam discipulos didicisse prudenter instante jam tempore presumpserit, denuo singulos audiat, et præscripto tempore finito domum remittat. Pomeridiano tempore in idipsum redeuntes litteras impressas addiscant, quas eodem ordine recitabunt, ut hora statuta domum revertantur.

XXXI. Juxta tradendas litteras tam Parochi quam ludimoderatores sedulo allaborent, ut sementem virtutum in animos parvulorum pro uniuscujusque captu instillent, maxime vero modestiam, veracitatem, pietatem in Deum, et amorem in B. Virginam, obedientiam parentum et præceptorum, venerationem Clericorum et Superiorum sæcularium, virginitatis custodiam; e contra

vero petulantiam, garrulitatem, mendacia, furta, gulam et similia pro viribus eliminare studeant. In hunc finem contra delinquentes aut negligentes discreta correptio utilis est, magis tamen expedit potius amore et laude juvenilem animum ad omnia bona inclinare. Nimis severe et indiscrete animadvertere in juvenes venenum est, quod ludimoderatoribus tanquam crimen indiscretionis interdici debet. Quæ omnia Decani et Parochi, ex habita prævia et matura notitia, optime in Domino pro sua discretione ordinare noverint.

XXXII. Denique cum, ut supra dictum est, Catechesis, ut fructum suum debitum uberius consequatur, exercitio scholarum innitatur, die sabbathi, aut feria sexta, si in sabbatho festum aliquod incidat, tota juventus in addiscendo proposito capite ex catechismo et tradita materia, in aliisque rebus secundum diversitatem classium ita occupabitur, ut sequenti die Dominico cum fructu lectiones suas cathechisticas recitare possint.

XXXIII. In hunc finem ludimoderator in propria etiam persona singulis octo diebus cathechesim frequentans, diligenter proposita puncta et alia necessaria sibi notabit, ut sequenti die sabbathi parvulis iterum in memoriam, quæ facile labitur, in omni charitate et mansuetudine revocet. Et sic illo die ludimoderator tanquam Catechista amanuensis suam juventutem in rebus spiritualibus erudiat. Quæ omnia Decani et Parochi optime in Domino ordinabunt.

XXXIV. Et ut non solum conscientias suas a peccatis expurgent, sed modum confitendi successive addiscant, potioribus saltem festivitatibus (puta quater in anno) universa juventus in Ecclesia ordine confiteatur; et quos Parochi capaces absolutionis judicaverint, absolvant; quos vero adhuc innocentes et in ætate incapaces viderint, debita dexteritate instruant, et cum munusculo in Domino dimittant.

XXXV. Tandem singulis etiam diebus, quantum constitutio locorum patitur, ab hora septima media ad octavam usque (sive una media hora prius quam scholæ incipiantur) ordine flectentes, devote ad Deum innocentes suas manus tollendo sacrum audient.

XXXVI. Ut vero hæc omnia facilius debitum effectum suum consequantur, et non solum exercitium ac disciplina scholarium feliciter procedat, verum etiam omne aliud ministerium in Ecclesia Dei sancta, per immaculatos homines perficiatur, Decanis et Parochis de piis ac bonis hominibus prospiciendum erit. In hunc finem ergo instructio juventutis in Seminariis serviet, juvenes, sine obligatione status Clericalis, usque ad certum tempus educando. Exinde enim, eo quod nesciatur ad quid Deus et natura unum quemque vocaverit, ludimoderatores aliique ministri Ecclesiæ assumi poterunt, ii videlicet qui in progressu ad studia altiora, aut propter aliud impedimentum et defectum ad sacros ordines minus apti vocatique invenientur. Dein ex scholis particularibus (de quibus infra) sufficientes homines ad hujusmodi officia excoli poterunt, ii scilicet qui, vel ob nimiam jam ætatem, vel ob aliam causam, ad Clericalem vel Religiosum statum minus qualificati fuerint, interea tamen pauperes existunt; quibus proinde gratificetur promotione ad officium de pane lucrando. Hi omnes suo tempore postquam adoleverint, ad dicta officia utilissime applicari poterunt; cum enim in timore Domini multis beneficiis educati fuerint, juxta Sacerdotes dein ruri et in civitatibus ad dicta officia expositi, semper scintillam bonæ educationis retinentes, vitam ad nutum Parochorum ducent. Quod si nubere velint, nubant, si cœlibes manere malint, in Parochialibus ædibus, vel extra degentes sæpius dictis officiis fungentur.

§ IV. De scholis particularibus in presbyteriis instituendis.

XXXVII. Parochi et Clerici cæteri curati, præcipue ad extra, illud sibi proponant, scilicet juventutem, a qua tota quasi Respu-

blica Christiana et politia ut plurimum dependet, non solum in Christiana Doctrina, verum etiam in litteris instruere : quod tamen ipsum non ad aliorum statuum qui ex professo docent æmulationem facere, sed sub certis quibusdam limitibus et subordinatione, præcise in bonum Reipublicæ Christianæ et incrementum majus studiorum, præstare studeant.

XXXVIII. Hoc ergo negotium in eo situm est, ut scholæ latinæ et particulares debito modo ac convenienter habeantur, in quibus puerilis Juventus in latinis litteris rudimentorum et grammatices a Clericis in cura animarum existentibus ordinarie erudietur.

XXXIX. Porro loca in quibus, generaliter loquendo, hujusmodi particulares scholæ institui poterunt, solummodo illa erunt, in quibus nullum Gymnasium existit. Juxta Gymnasium, cum facultate eorum, quorum interest, pueros in principiis erudiant, et tanquam amanuenses ad rudimenta instituant : multum enim interesse et Præceptores Gymnasiorum magno labore sublevare videtur, si pueri in primis principiis probe instituantur.

XL. Cæterum ruri, in loco principali uniuscujusque Archipresbyteratus, vel Decanatus, per totam Diœcesim, una aliqua particularis schola erigi poterit; ubi scilicet collegiata quædam Ecclesia sive Decanalis domus erecta existit. Idem fieri poterit in aliis civitatibus et oppidis, si cum emolumento commode practicabile videatur.

XLI. Hujus Institutionis finis primus est, ut scilicet regiones montosæ, desertæ, vel a civitate ubi academia est remotæ, quarum pauperies et natura ad multa milliaria ordinarie nullum Gymnasium concedunt, per prædictum scholarum particularium exercitium ab ignorantiæ tenebris, et corruptela morum revocatæ, tam in bonis moribus, quam in litterarum studiis ad debitam politiam excolantur; sicque via habitatoribus aperiatur, qua filios suos facilius ad studia mittant : præterquam enim quod deflenda

ruditas et similes quoque mores in hujusmodi locis quæ a cultura piorum et doctorum virorum remotiores existunt, passim ubique vigeant, hoc magis dolendum est quod patria ad suimet directionem spiritualem et sæcularem externarum nationum homines inglorie assumere debeat, quod ex gremio nativo, ob dictam causam, viros qualificatos habere non potest. E diametro sane contrarium videbitur, si dispersim exercitium scholarum per viros laboris indefessos instituere satagat.

XLII. Secundus finis est, quod universim ad incrementum majus studiorum et virorum doctorum plantationem sæpius dictum scholarum exercitium sane aptissimum videatur ; cum per hoc plurimis parentibus via aperiatur et ansa detur, quo facilius liberos suos, quos ita omnibus votis gloriosos esse desiderant, ad studia e diversis locis mittant. Procul dubio enim parens aliquis, si filium suum secum domi in propria mensa retinens, quam alias ipsi exhiberet, usque ad aliquot annos sine specialibus sumptibus in litterarum studio erudiri posse viderit, præsertim ulteriori filii sui honore captivatus, facilius persuadebitur ut eumdem ad complenda studia mittat. E contra sero aliquis filium suum, nisi prædicta ansa et via præbeatur, statim motu proprio ad Gymnasia aut Academias remotas, nulla adhuc etiam præcedentis profectus spe saginatus, cum magnis sumptibus ablegabit. Ex hoc jam sequitur quod istæ scholæ non modo sine omni prorsus præjudicio Gymnasiorum, verum etiam cum maxima eorumdem et Academiarum utilitate et incremento institui possint, ut viro prudenti per se patet, cum ejusmodi viri hinc inde in Collegiatis Ecclesiis ruri docentes non nisi Gymnasiorum sint futuri amanuenses.

XLIII. Tertius finis est, cum etiam ruri parvuli ingeniio præstantes extare conspiciantur, qui tamen, quia proportionata media studendi non habent, aut ad studia nunquam pervenientes sylvescunt, aut squalore paupertatis immature defluentes ad finem

illum ad quem ingenii præstantia collimat nunquam perveniunt, deinde status Clericalis, præsertim pastoralis, certe beatus erit, si, occasione ac medio utrarumque scholarum, sibi ex universali illa massa juventutis optima quæque ingenia et indole præstantes adolescentes ad generationem suam spiritualem, cum selectu et providentia, instituere possit: quod ipsum e diametro in magnam patriæ gloriam et utilitatem, ac exaltationem pauperum cedere manifestate conspicitur.

XLIV. Quartus finis est, quod quamvis ex sæpe dicta massa juvenili non omnes apti ad studia futuri sint, nihilominus tamen alium quemdam inferiorem finem hoc opus scholarum consequetur; nam Ecclesiæ utile et decorum, Deo ter Optimo Maximo gratissimum erit, si etiam ad officia illa ludimoderatorum, cantorum, æditurorum, homines qualificati, pii et bene educati, beneficio scholarum particularium haberi poterunt. Et hi sunt fines, qui Clericos, præter alios multos, merito impellere debent, ut indefesso labore ad scholarum exercitium dicto modo per Dei gratiam manus admoveant.

XLV. Itaque unus Clericus ex domo Decanali, in qua plures congregari solent, Juvenes qui hinc inde in diversis circumjacentibus locis ad scholas missi fuerint, in latinæ linguæ principiis, rudimentis et grammatica omni charitate sedulaque diligentia erudiet. Locus in quo ordinarie docebunt, in ipsa domo Decanali constituatur, nisi certa domus juxta eam in hunc finem fuerit.

XLVI. Pro hoc officio vir probatæ vitæ, integrorum morum assumatur, et qui non solum bonus Humanista sit, verum etiam modum docendi et agendi cum parvulis probe calleat, insuper impiger laboris, animum ac desiderium ad negotium docendi e cæteris præ se ferat. Quod judicare, ac pro singulis scholis qualificata subjecta determinare ad competentem Superiorem spectabit, qui considerans bonum adolescentum, ex notitia talentorum

in Domino providere noverit, et cum grave onus sit pulverem scholasticum diu sustinere, pro singulo cursu scholarum aliæ personæ recentes, simul tamen et qualificatæ præficientur.

XVLII. Tempus docendi scholas particulares esse potest: primo, mane ab hora media octava ordinarie usque ad decimam (finiendo duabus horis ante meridiem) Deinde ab hora secunda pomeridiana usque ad quartam (finiendo hora quarta post meridiem, aut pro diversitate ac consuetudine regionum tardius in æstate incipiendo et finiendo). Præceptores ex omnibus pueris, qui in scholis fuerint, quasdam veluti classes, vel potius turmas ita formabunt, ut in prima ii qui latinas litteras legere et scribere addiscunt, item qui principia memoriæ mandant, collocentur; in secunda, qui rudimenta addicentes jam etiam latinas scriptiones componunt; in tertia, qui rebus Grammaticis et Syntaxeos operam navant, ordine collocentur.

XLVIII. Quod si jam adolescens aliquis præstantia ingenii et diligentia sua illum profectum studiorum fecerit, ob quem cum præeminentia quadam merito dignus altioris classis inveniatur, ad altiorem classem promoveri debet, sive deinde dictum profectum ordinario, sive abbreviato tempore præstiterit. Hic profectus semper cum præeminentia, maxime quando a particularibus scholis ad Gymnasia promoventur, in unoquoque adolescente existat. Ex hoc capite mire ingenia ad diligentiam studiorum incitantur, si scilicet omne tempus promotionis suæ terminum præsciant. Cæterum communem illam methodum, etiam in tradenda lingua latina et græca observabunt, quam PP. Societatis Emmanuel et Jacobus Gretserus in suis libris tradidere, aut alii pro more Patriæ.

XLIX. Porro quoniam plurimum interest, et ad omnia munia Ecclesiastica pulcherrime quadrat, si homo scientiam musices calleat, adolescentes quoque scholas frequentantes, si tamen apti aliquo modo fuerint, in cantu ordinarie singulis diebus, ab hora

duodecima (sive a meridie) usque ad primam, aliquo cantore vigilanti diligentia et indefesso studio instruentur. Deinde aliqui etiam, qui in cantu jam sufficienter profecerint, ad instrumenta musica addiscenda utiliter Ecclesiæ applicari poterunt, et hujus rei negotium competenti Superiori incumbet, ut seria constantia executioni demandetur. In hunc finem adolescentes musica vocali, et instrumentali jam magis periti motetas utiliter decantent. Quatenus etiam ad æmulationem provocati in arte canendi unus alteri palmam præripere allaboret plurimum juvabit, si propter aliquod præmium eorumdem animi ad certamen dextre provocentur.

L. Denique, disciplinam ipsam quod attinet, Præceptores sedulo studeant primo eorum interiorem hominem bonis virtutibus imbuere; scilicet devotione in Deum, et B. V. M. et in S. Angelum Custodem, ac Patronos; deinde timorem Dei ex pœnis et gravitate peccatorum, amorem et gratitudinem ex beneficiis innumeris quæ cœlestis Pater unicuique in multis argumentis exibuit et quotidie exhibet, jugiter inculcent; ad dilectionem parentum, tuendam virginitatem et primam gratiam sæpius admoneantur; edoceantur etiam rectam mane et in omnibus aliis operum initiis intentionem facere, et spiritualiter sub sacro quotidie communicare, et in aliis quæ hominem interiorem perficiunt, ad captum hujus ætatis, in omni charitate instituantur.

LI. Quoad exteriorem hominem, frequenti tam exhortatione quam exercitatione vehementer urgeantur ad dicendam veritatem in omnibus rebus, et ad fugienda etiam minima mendacia; dein modestiam, ingenuam libertatem, affabilitatem in loquendo assumant; rixas, cognomina, petulantiam, et stultam garrulitatem serio ipsis prohibeant, et desuescere faciant; et denique sic eorumdem hominem exteriorem in omnibus modificare allaborent, sicut natura et recta ratio unumquemque habere postulat.

LII. Ad hunc finem facilius obtinendum, singulis diebus una

media hora ante scholam Sacrum devote audiant; ante et post scholas diligenter orent; modeste domum revertantur; majores singulis mensibus sacra confessione suam conscientiam expurgantes sacram synaxim sumant; omnes vero et singuli communionis aut saltem confessionis capaces præcipuis festivitatibus anni communicent, aut saltem confiteantur, prout confessariis visum fuerit ad spiritualem profectum eorum magis expedire.

§ V. De prædicatione verbi Dei.

LIII. Principalis finis in quem prædicatio verbi Dei, a Christo et apostolis instituta, ab Ecclesia Catholica usque huc frequentata fuit, merito salus animarum esse censetur: prædicamus enim ut, ad ejus finem, aut in fide, aut etiam in moribus oves aberrantes salutariter reducantur, et qui in bona adhuc via fuerint confirmentur, ne deflectant. Et hunc finem, ad quem vocatio pastoralis clericos per se jam alias obligat, acie mentis accurate inspicientes merito seria cogitatione circumspicere sibi debent, quatenus duo extrema, sublimitatem conceptuum scilicet, et nimiam ruditatem sermonis declinantes, pro viribus scopi medium assequi mereantur.

LIV. Proinde Prædicatores satagant ut in omni prædicatione verbi Dei, sive ea ruri, sive alibi suscipiatur, salutem animarum flagranti desiderio zelantes, ea in medium populi semper proferant, quæ quadam suavite delectabili sermonis (tanquam condimento debito) involuta, populum aut in veritate christianæ fidei instituere, aut in moribus reformare, aut quoad virtutem et popularem christianam perfectionem charitatemque majorem accendere apta nata esse videantur; quæ ex industria ad id ipsum conquirent.

LV. Et quemadmodum ille coquus optimus merito æstimatur, qui ad omnium hominum palatum cibos optimo condimento sapidos coquere novit, ita sane ille verus concionator erit, qui ad

captum auditorum, cum fructu salutis animarum, conciones suas texere noverit. Ita ut si auditores a potiori subtiles, subtile ; et si medii, mediocre; et si rudes, rude quoque condimentum sermonis adhibere sciat. Hoc considerantes prædicatores non efficiantur vanitatis æmulatores, ut adhuc hominibus placere cupiant, sed magis cordialiter animarum fructum desiderantes ad captum auditorum semper conciones suas accomodent, ne audire aliquando debeant : *parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

LVI. Ut ergo conscientiam suam in hoc negotio magis exonerantes, debitum semper finem fructumque, qui est salus animarum, per Dei gratiam reportent, seriem universæ materiæ in concione tractandæ in tres quodammodo cursus utiliter divident : In quorum primo quidem de virtute Fidei theologicæ, deinde de Symbolo Apostolorum, de septem Sacramentis et Sacramentalibus, et denique de universis aliis rebus doctrinalibus, quæ vel tanquam articuli, vel tanquam doctrina, utiliter et aliquo modo necessarie articulos fidei circumstant, modo concinatorio ex fundamentis ordine pertractent.

LVII. In secundo cursu, de doctrinalibus ad moralia descendentes: Primo de ultimo fine hominis ; Secundo de eo per quod a fine ultimo receditur, scilicet de peccati mortalis gravitate; Tertio de remedio, per quod in viam finis ultimi reditur, scilicet de pœnitentiâ et timore Domini, quo in suscipiendo et usurpando hoc Sacramento homines merito perculsi, omni tempore rite confiteri tanquam malleo impellantur, et per quem timorem inchoetur charitas in cordibus eorum, Deumque, ut docet Tridentinum, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant; Quarto ad reformationem veteris hominis de Decalogo universaque lege et moribus ordine agant, quomodo homines doceantur quid malum et tanquam offensa Dei fugiendum, et quid bonum ac sequendum, et unice propter Deum amplectendum ;

Quinto denique de timore Domini ac de quatuor novissimis conciones suas instituant, quibus tanquam malleo peccatorum corda frangentes, et in Deum uti in benignum Patrem dilectum erigentes, ad seriam abstinentiam de peccatis perducant.

LVIII. In tertio denique et ultimo cursu de beneficiis Dei tractantes, quibus homines jam a peccatis gravibus eruti ad bona opera pietatis, ad servitium Dei, dilectionem et benovolum amorem SS. Trinitatis permoveantur. Item de B. V. M. de Angelis, de Sanctis, de vitis Patrum nostrorum, quibus homines etiam ad imitationem agantur; non minus de vita instituenda diversorum statuum, Virginum sive Juvenum, Conjugatorum, Viduarum, Senum; et sic de multis aliis, per quæ christianus populus ad exercitium virtutum, ad audienda sacra, ad confessiones, ad frequentes communiones, et alias devotiones et opera bona per Dei gratiam perducatur.

LIX. Ex hoc capite sicut maxima animarum utilitas sequitur, ita certe summa ejus necessitas in agro Dominico christiani populi existit. Si enim hæc prædicatio apta verbi Dei desit, vere ager Dominicus similis fiet agro qui tempore belli diu non aratur, non stercoratur et non colitur, aut habitationi alicui quæ diu deserta sine habitatore et cultore derelinquitur. Primo anno desertionis, frumentum amplius non crescit, araneæ in habitatione illa succrescunt; secundo anno callum ager obducit, in habitatione deserta immundities possessionem suam capit; tertio anno succus stercorationis cessat, in habitatione mures habitant; quarto anno zizania agrum occupant, in habitatione deserta gramina crescere incipiunt; quinto anno zizania radices agunt, et in habitatione illa aditus ac fores arbustis occluduntur; sexto deinceps ager incipit sylvescere, et tandem non noscitur amplius ager fuisse, nisi signa aratri extarent, et habitatio taliter incipit corruere, ut demum non nisi in ruderibus vestigia ejus appareant.

LX. Sic in christiano populo contingit, si Prædicatores aut ad

sublimes conceptus, relictis doctrinalibus et moralibus aliisque salutaribus rebus, convertantur; aut si ruri Clerici propter ruditatem hæc debito modo proponere nescientes, itidem ad sermones postulantium sine selectu refugiant, sic ut successive doctrina christiana catholicæ fidei in oblivionem veniat, divina præcepta ignorentur, aut non intelligantur. Ex hoc corda sylvescunt, ad ignorantiam divinarum et futurarum rerum devolvuntur, mores mali successive ex ignorantia aut ex inanimadversione irrepunt, vita christiana exulat, et tandem ita obsolescunt homines, ut Christiani esse non crederentur, nisi christianum nomen et baptismum adhuc portarent; et hoc fit nemine advertente, Pastoribus dormientibus. Quæ cum ita sint, prædicatores hunc cursum triplicem semper observantes, ubique terrarum ea prædicent quæ secundum præsentem necessitatem et utilitatem spiritualem fuerint.

LXI. Non solum autem totum hunc cursum semel, prædicent; verum etiam ad minimum singulis decem annis denuo repetant, quatenus hoc modo populus christianus, tanquam per debitam spiritualem culturam, veluti ager aratro verbi Dei scindatur, zizania succrescentia evellantur, memoria refricetur, melius res capiantur; et succrescens Juventus, per continuam culturam sufficienter ad fidem edocta, ad vitam sanctam impellatur.

LXII. Cæterum modum concionatorium in omnibus edocendis in cathedra adhibeant, et pro diversitate captuque auditorum sapidum condimentum motivorum in tantum addant, in quantum rudiores debito fructu intelligentiæ non priventur, delicatiores vero ob ruditatem sermonis non disgustentur, omnes vero commoti per gratiam Dei, aut aliquid discant, aut ad meliorem frugem vitæ et incentivum charitatis impellantur. Porro neminem puncturis ex industria in particulari concutiant, sed magis omnes passiones suas et zelum suum refrænatum continentes, in mansuetudine et intima compassiva charitate, cum libertate, ita singula proferre circumspiciant, ut quantum humanitus possibile est,

omnes, veræ charitatis intimo affectu ostenso captivati, dicere cogantur : concionator vere optimam erga nos voluntatem gerit, et omnes ex animo salvos cupit.

LXIII. Hæc ut possint, 1° diligenter ad omnem concionem se præparent, proinde curantes ut omnia quam congruentissime ad inducendos hominum animos in obsequium Christi ex industria conquirant; 2° dum ascendunt ad cathedram, ad nihilum suum usque se deprimant, et Spiritus Sancti gratiæ et voluntati præsentem concionem humillime offerentes, intimo amoris ardore deprecentur ut omnia ad gloriam suam, et in salutem sanctificationem que animarum secundum suam sanctam voluntatem procedant.

§. VI. De remediis quibus Populus Christianus ad frequentem pœnitentiam sive confessionem et communionem inducatur.

LXIV. Cum inter cætera per Dei gratiam, qui omne bonum in nobis operatur, vix remedium efficacius merito esse censeatur, quo christianus populus à putredine peccatorum ad bonos mores, et honestam vitam perduci queat, quam per frequentationem sacræ confessionis et communionis, ideo Clericis curatis enixe per gratiam Dei laborandum erit ut christianum populum, etiam ruri, ad frequentiorem confessionem et communionem inducant. Et quamvis ipsa prædicatio verbi Dei, juxta superius dicta, etiam atque etiam efficax malleus ad hoc ipsum a christiano populo impetrandum existat, ut experientia constat, nihilominus alia etiam adminicula hujus addi utiliter possunt.

LXV. Primum est institutio fraternitatis SS. Rosarii, cujus tenore non solum cultus B. M. V. in populo introducetur, verum etiam ad confessionem et communionem in solemnioribus festis anni, ut Nativitatis Christi, novi anni, Trium Regum, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, omnium Sanctorum, item in festivitatibus ipsius B. V. M. facili negotio saltem a potiori inducent, ut manifesta experientia constat. Ad hoc multum addet, si populo

christiano ruri S. Isidorus, utpote agricola, imitandus, sub dicto patrocinio et Rosario gloriosissimæ Reginæ Cœli Mariæ, proponatur. Quapropter Pastores satagant ut in locis in quibus fuerint, dicto modo fraternitatem S. Rosarii, obtenta semper prius facultate ab Ordinariis locorum et familia S. Dominici, erigant, erectam propagent, et propagatam pro viribus et ardentibus sermonibus in christiano populo in fervore semper, per gratiam Dei, et B. V. M. patrocinium, quod absque dubio benignissima Mater taliter honorata a Filio impetrabit, enixe conservare studeant.

LXVI. Alterum remedium ipsa Clericorum vita immacula erit, in quam respiciens populus bono exemplo ad pœnitentiam et peccatorum gravium fugam perducetur, si scilicet videat caste omnes vivere, et familias sine consortio mulierum institutas in timore Domini perpetuo decurrere. Studeant ergo Clerici ut in omnibus et per omnia semetipsos in exemplum populo præbeant, sicque quod verbo prædicant, ipso opere etiam exerceant. Ad hoc plurimum addet bonorum temporalium in pios usus applicatio, per quam a populo nota avaritiæ vel suspicio (quæ Clericali statui cum gravi detrimento fructus animarum, facile inuritur), tolletur, si conspiciant redditus Clericorum in pios usus converti.

LXVII. Ut vero debita disciplina in Clericali statu ad ædificationem populi christiani constanti fervore perpetuo progressum suum habeat, necessitate quadam morali evidenter sequitur ejusmodi matricem a Reverendissimis locorum Ordinariis erigendam, ex qua, mediantibus Seminariis Juventutis, per generationem quamdam continuam spiritualem, filii propriæ patriæ assumantur, et ad omnem laborem impigri et patrii soli assueti viri ex professo edoceantur, qui, sub debita disciplina clericali usque ad mortem subsistentes, id præstent ut hac ratione debitus fervor in Clero perpetuo conservetur, et RR. DD. Ordinariis quoad inferiorem Clerum ex omni parte sufficienter sit provisum.

INSTRUCTIONES CONCIONATORIBUS CATHOLICIS VALDE UTILES.

I. Ante omnia scientes intelligant oportet omnes et singuli Concionatores Catholici, hunc solum et unicum eorum esse scopum, ut prædicatione verbi Dei populum Christianum in divina veritate erudiant ad veram fidem, et promissiones divinas recte viventibus factas exponendo erigant ad spem firmam vitæ æternæ, et denique ex tot beneficiorum et magnalium Dei enarratione, ad ejusdem et proximi impellant atque inflamment charitatem : ad quæ omnia, tum S. Scriptura, tum vita Christi et Sanctorum, tum etiam traditiones Apostolicæ, Catholicorum Conciliorum declarationes ac SS. Patrum Theologia copiosam materiam suggerunt.

II. Et quia ab hoc scopo, qui solus et unicus deberet esse, hujus calamitosi temporis Prædicatores non raro declinantes, Apostolo teste, ad fabulas convertuntur, omnino salutare fuerit certos quosdam limites ponere, intra quos omnes et singuli se continere pro viribus studeant.

III. Superbiam ac vanam sui complacentiam, quæ valdè Concionatorum insidiatur calcaneo, in semetipsis pullulare non sinant : ipsa enim mater est omnium malorum, quæ spiritus fervorem extinguit, novitates excogitat, texit subtilitates, involucra verborum quærit (*parturiunt montes! Ponit in cœlum os suum!*) ita ut neglecta omni humilitate et simplicitate (quæ sunt animæ Concionatorum) studeant placere hominibus.

IV. Et quoniam ea quæ in publicis cathedris prædicantur, debent niti defæcatæ veritatis authoritate, ab omnium apocryphorum somniis prorsus abstinentes, pro auditorum suorum capacitate, sanam et solidam doctrinam decerpant ex sacra Scriptura et Sanctorum Patrum scriptis, velut imperturbatæ veritatis authoritatisque fontibus : in hunc finem unusquisque Pastor animarum Sacram Scripturam, libros Sanctorum Patrum, item Con-

cilia generalia et particularia, unum sanum Sacræ Scripturæ interpretem, aliosque paucos sed solidos libros sibi procuret.

V. Teneant omnes formam sanorum verborum : in omnibus autem si ipsos præbeant exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum et irreprehensibile; ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Ad Tit.* 2.

VI. Caveant ne conciones suas ex nimis subtilibus et rudium auditorum captui minus accommodatis discursibus contexant, quales interdum ex abstrusis Theologorum et Philosophorum disputationibus, magis ad vanam scientiæ ostentationem, quam fidelium ædificationem proferuntur : sed, ad exemplum Christi, etiam utantur parabolis similitudinibusque modestis, quibus clare proponantur ea quæ sunt honesta, utilia, et necessaria ad vitam æternam.

VII. Præterea, cum multi reperiantur qui parcentes labori ad exquirendam solidam doctrinam, toti sunt in narrandis curiosis et vanis historiis; imposterum omnibus et singulis interdicitur ut supra Cathedram nullas historias aut miracula, multo minus revelationes, et apparitiones hominibus factas (maxime quæ homines ad pusillanimitatem solent inducere) ex obviis quibusque incertæ fidei authoribus enarrare præsumant: sed ad sacram præcipue Scripturam, quæ exemplis abundat, recurrentes, ad ædificationem populi sui singula proponant et declarent in sensu et doctrina sana.

VIII. Sicut conciones quæ procedunt ex corde humili, indifferenti, simplici, mansueto, et ex fervore charitatis erga Deum et salutem animarum, cooperante Spiritus Sancti gratia, mire corda hominum afficiunt, multosque fructus spirituales generant; ita e diametro in cassum eunt, imo scandala pariunt eæ conciones quæ promanant ex indiscreto zelo, studio placendi hominibus, et

quavis animi passione. Et quia non pauci Concionatores hujus sæculi carnalis sincero et puro charitatis fervore sua culpa destituuntur, contingit ut ex tam frequentibus concionibus tam raræ sequantur cordium compunctiones ac conversiones hominum peccatorum ad veram pœnitentiam.

IX. Prædicto charitatis fervori sincere et ex animo innitentes, ita indifferenter se gerant ac si neminem auditorum suorum novissent, exhibentes se omnibus et singulis salem terræ et lucem mundi.

X. Prorsus sedatis animi sui passionibus ad Cathedram accedant; neminem ex professo lædant aut pungant; neque invehantur in vitia particularium personarum, præsertim Magistratuum, Judicum, et Præfectorum loci. Hujusmodi enim indiscretæ correptiones, cum scandala, rixas et exacerbationes animorum, et mala quandoque maxima gignant, prorsus omitti debent; poterunt tamen quandoque seorsim in vera charitate et fervore spiritûs insinuari.

XI. Abstineant sectariorum nostris temporis parentes super Cathedra damnare, neque carpant ministrorum eorumdem vitam et conciones; aut instar furiæ in eos tanquam hæreticos invehantur, tametsi prius ab adversariis provocentur : dicit enim Sapiens Proverb. 26. *Ne respondeas stulto juxta stultiam suam, ne efficiaris ei similis.*

XII. Fundamenta fidei nostræ Catholicæ, in quibus sectarii a nobis discrepant, solide et clare explicent; et, si per conciones prædicantium immodeste lacessantur, instar alicujus molossi latrante post eum catulo, in solita sua modestia, mansuetudine, humilitate, patientia, et sinceri sui erga omnes amoris ostensiones fortiter pergant, modeste redarguentes ipsorum calumnias et falsitates; juxta eumdem Sapientem, dicto Proverb. 26. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

XIII. Et quia Eccclesia Catholica est in possessione impertubatæ veritatis et continuæ successionis a Christo et Apostolis usque ad hæc tempora, populum sibi subjectum in hac soliditate et antiquitate (quæ est efficacissimum veræ fidei argumentum) de possessione consolentur. Adversarios vero semper ad probationem suæ novæ sectæ, quæ nullam habet soliditatem, neque antiquitatem, multo minus unitatem aliquam, merito remittant.

XIV. Sicut nulla est secta tam absurda quæ non rationum coloribus veritatem præ se ferentibus depingi; ita nulla est veritas tam sancta, solida et antiqua quæ non falsis sophismatibus queat impugnari : unde caveant et declinent prudenter hunc labyrinthum humanarum rationum, subtilitatum, vel potius spinarum, et instar leonis in suo antro subsistant in traditionibus Apostolicis, in antiquitatibus sanctis, et in sensu Sacræ Scripturæ quem tenent et tradunt nobis Concilia Sacra, Sancti Patres, et quem etiamnum tenet Sancta Mater nostra Catholica et orthodoxa Ecclesia. Filiorum enim hujus sæculi est proprium, quod non sit finis disputationis eorum; et quo plus disputant, eo plus se involvunt; juxta illud 2. *Tim.* 3. : *semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

XV. Tam in concionibus quam in privatis discursibus, omni modo curent ut sinistras opiniones, malasque informationes, quas plurimi de fide et Ecclesia habent, ab animis eorum removeant, suaviter et modeste demonstrando concordantiam et discordantiam Religionis nostræ cum sectis adversariorum; quidque teneat, et quomodo sentiat Ecclesia Catholica in rebus singulis.

XVI. Antequam ascendant cathedram, prosternant se ad pedes imaginis Crucifixi Jesu Christi, et offerant ipsi cum summo quo possunt teneritudinis affectu instantem suam concionem, intime et humillime supplicantes, quatenus ex ea, cooperante Spiritus Sancti gratia, populus pretioso ejus sanguine redemptus ædificetur, compungatur, et convertatur.

INDEX.

PRÆFATIO EDITORIS v

Brevis delineatio vitæ B. Holzhauser et initii ac progressum ejus Instituti IX

Constitutiones Clericorum sæcularium in commune viventium.

CONSTITUTIONES SACERDOTUM.

Proœmium. 1
De cura propriæ salutis et profectu in spiritu. 2
De communitate Bonorum. 6
De fraterna cohabitatione 8
De separatione mulierum 9
De obedientia 9
De cura animarum 10

CONSTITUTIONES JUVENTUTIS.

Proœmium. 13
De pietate Christiana 14
De morum honestate 19
De studiis litterarum 25

Constitutiones pro spirituali temporalique directione Clericorum sæcularium in commune viventium.

Proœmium. 26

Pars prima. — Ad directionem seminariorum pertinens.

Adolescentes in tres studiorum classes distribuendi. 28
De rebus spiritualibus. 31
De quotidianis exercitationibus, frequentatione scholarum, et repetitione domestica 36

De œconomica ordinatione Seminariorum 38
De distinctione, receptione et fundatione Seminariorum . . . 39
Ubinam Seminaria esse debeant, et cujus nationis adolescentes in iisdem sint educandi 41
Quis curam Seminariorum habeat, et quinam singulis sint præficiendi 43
Juramentum omnibus qui huic Instituto adscribuntur commune 44
Quomodo Sacerdotes noviter ordinati ad curam animarum applicari debeant 45

Pars secunda. — Pro directione spirituali et temporali presbyterorum et clericorum hujus Instituti, qui actualiter in cura animarum, beneficiis ecclesiasticis, aliisque officiis existunt.

De vigilantia Superiorum, ut exercitia quotidiana, tam pietatis quam studiorum, et alia rite ubique observentur. 46
Quid superioribus circa substantialia hujus Instituti puncta sit sciendum et observandum 49
De communitate bonorum in specie. 50
Observanda de fraterna cohabitatione 57
Quid respectu cohabitantium clericorum observandum sit . . 59
Quid superiores in puncto separationis mulierum observandum habeant 61
De superioritate directiva, ejusque necessitate, ac principis practicis ut hoc Institutum perpetuo in clero conservetur. 65
De regressu ad Superiores 72
De revelatione hominis interioris Superiori facienda. 73
De notitia personarum habenda. 74
Ordinationes pro œconomis 75
De officio et directione superiorum in specie. 78
De parochiali et cujusque loci particularis directione. . . . 79
De Œconomo parochiali. 82
Observanda ab illis qui Parocho aut Beneficiato principali cohabitant. 82
De directione in districtu decanali servanda 84
De Œconomo decanali. 88
De Præsidis diœcesani directione 88
De Œconomo Diœcesano. 94
De Præsidis archidiœcesani directione 94
De Œconomo archidiœcesano 99
De Præsidis supremi directione 100
De Œconomo supremi Præsidis. 104

Pars tertia. — Pro directione sacerdotum aliorumque clericorum senum, et alia ad officia et beneficia ecclesiastica ex quocunque defectu inhabilium, in domibus Emeritorum.

De fine, utilitate et necessitate domuum Emeritorum 106
Quænam personæ recipiendæ sint ad Emeritorum domos ? . . 108
De ordinatione et dispositione domuum Emeritorum 109
De fundatione domuum Emeritorum, deque cura bonorum temporalium ad easdem pertinentium. 110
Quinam Superiores in domibus Emeritorum esse debeant, et quodnam eorum sit officium 111
De conversatione sacerdotum et eorum qui habitant in domo Emeritorum 113
De sacerdotibus aliisque post studia sua absoluta ad hoc Institutum suscipi desiderantibus, in domo Emeritorum ad tempus bene erudiendis 116
Quomodo delinquentes in domo Emeritorum accommodandi ac tractandi sint. 117

Stationes quotidianorum Exercitiorum spiritualium omnibus huic vitæ addictis communes.

Statio matutina. 119
Statio meridiana 121
Statio nocturna. 125

DE DIVERSIS ORANDI MODIS 130

DE MODO MEDITANDI. 131

MANIPULUS PIARUM PRECUM ET EXERCITIORUM. 133

ORDO DIURNUS ET MODUS VIVENDI PRO PERSONIS ECCLESIASTICIS. 161

Instructiones de via perfectionis et principiis practicis pro statu clericali et pastorali.

Præfatio. 167

Caput I. — De Christianâ perfectione interioris hominis . 168

§ I. De studio Virtutum Theologicarum, et cultu erga Deum. 168
§ II. De Christiana pietate erga Deiparam et omnes Sanctos. 169
§ III. De ardore animi ad divina, de puritate intentionis et studio solidarum virtutum 170
§ IV. De christiana humilitate 171
§ V. De christiana simplicitate 175
§ VI. De prudentia 178

Caput II. — De scientia practica et discretiva boni et mali in regendo et agendo, etc. 182

§ I. De triplici motione quæ animam nostram influere consuevit, et de regulis quibus prædictæ motiones discernantur . 182
§ II. De spiritu cœlestium consolationum et oppositarum desolationum ac tentationum : 191
§ III. De principiis et regulis discretionis, quibus informamur contra nequitias concupiscentiæ carnis, etc 200

Caput III. — De principiis practicis ad salutem animarum procurandam 207

§ I. De cura animarum habenda, et aliis officiis Ecclesiasticis in communi 207
§ II. De tradenda doctrina christiana parvulis in catechismo . 209
§ III. De scholis vernaculis instituendis 217
§ IV. De scholis particularibus in presbyteriis instituendis . . 221
§ V. De prædicatione verbi Dei. 227
§ VI. De remediis quibus populus Christianus ad frequentem pœnitentiam sive confessionem et communionem inducatur. 231

Instructiones Concionatoribus catholicis valde utiles. . . . 233

ERRATA *circa dies litterarum apostolicarum Innocentii XI Instituti Constitutiones approbantium.*

Paginâ 1, Linea 4, in titulo : pro *die 7 julii*, lege : *die 7 junii.*

Paginâ 26, linea 5, in titulo : pro *die 27 augusti*, lege : *die 17 augusti.*

AURELIÆ, TYPIS G. JACOB.

ORLÉANS, IMPRIMERIE DE G. JACOB.